



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
14 B
42





INSVLIS, EX OFFICINA NICOLAI DE RACHE. 1648



EMINENTISSIMO

PETRO-LOYSIO

CARDINALI

CARAFÆ

JOANNES VINCARTIVS

Felicitatem.






Oësis hæc mea, quam de CVLTV DEIPARÆ inſcripſimus, CARDINALIS EMINENTISSIME, ſubitura apertum pelagus, non aliud ſidus ſpectandum ſibi exiſtimavit, quàm Tuum, quippe antiqui & benigni fulgoris: tametſi jam longè diſſitam à nobis, Belgico in ſolo, & ad ima terrarum degentibus. Induxerunt Parthenici Iuvenes & è Divorum numero ALOYSIVS & STANISLAVS, quibus aliàs ex propinquo

ſaviſti: cùm binis Epiſtolis charactere Ovidiano à me ſcriptis, & Tibi Pontificio ad Rheni limites, per id tempus LEGATO dicatis, in publicum prodiêre. Tentamenti iſtius felicitas, futuræ victoriæ prærogativa erat: quam & firmavit INNOCENTIVS X. Meritorum Tuorum ſummus, atque ex æquo æſtimator, quando Te Romanos inter ac Purpuratos Patres conſedere voluit: Iſtiuſmodi aſtra ſunt, quæ quò ab *Eminentiori* cœlo, áſpectuque, eò benignius, ac feliciore radio terris affulgent. Fuit & mihi, ut hoc Opuſculum Tibi conſecrarem, inſtinctus quidam, qualis filiorum in parentes eſſe ſolet, appellatione Nominis. Ecquid enim CARAFIS non debeam adlecto in ſummum Societatis IESV Præfectum VINCENTIO CARAFA, Gentili Tuo, qui paternè me habet, & ut filium amore conſtringit? Acceſſit eximia Tua in VIRGINEM Pietas ac Religio, quam in Eburonibus ante annos duodecim venerati è clero, ac Nobilitate Primates quique, Legiæ decora, ſæpe teſtati ſunt, in Te VRBANI VIII. *Pont. Max.* NVNTIO etiam DEIPARÆ.

PARÆ LEGATVM ſe ſuſpicere, & amare. Viſus es illic ad Sodalitia Mariana haud infrequens, ſummis juxta atque imis Te commodans, ſolis in morem, qui appulſu ſideris ſui, omnia colluſtrat, accenditque. Exinde Iuventus Humaniorum litterarum ſtudioſa legere cœpit in vultu Tuo, & adhuc retinet, nihil humile, aut deſpicabile eſſe judicio Tuo, quod MARIÆ AVGVSTÆ ancillatur. Hoc ſpecto. Laudabunt alij CARAFÆ Domûs vetera atque illuſtria ſtemmata, in quam Summi honorum ac dignitatum tituli, Virtutis ductu influxêre. Prædicabunt Sapientiam Tuam, per quam purpuræ ornamentum, lumenque acceſſit. Dicent ſupra vulgus eſſe, etiam ſpectatiorum quidquid CARAFÆVM eſt. Habere Romam & Eccleſiam, quod de Te glorientur. Redire CARAFÆORVM tempora, atque adeò auſpicia publicæ felicitatis. Ego Ingenij ac morum Tuorum comitatem, ſummis ipſis honorum faſtigijs infractam, ſuique retinentem extollam: nec diffitebor perfectiſſimam in Te Mariani Cultûs Ideam, quam fruſtra numeris meis illigatam

traderem, nisi simul tanquam in speculo quodam Virtutem Tuam Orbi circumferre animus esset. Quod si hinc (prout sperare æquum est) Iuventus ad DEIPARÆ Cultum (mores Tuos ac Virtutes speculando atque imitando) se aptet: Si excedat castris, quæ injustè possedit, Cupido contumax, bonarum artium insolens: Si Amores casti tanquam VIRGINIS Ephebi toto Orbe pugnaturi volitent. Certè & hi Gentilitiâ Tuâ Parmâ, atque Armis instructi pugnabunt animosiùs; quod in ijs *Reginæ-Sponsæ* colores, candorem nempe rubori permixtum agnoscent: & concidet Veneris ille Armiger, vultu Tuo, perinde ac sidere perculsus. Atque istud erit, quod semper laudi vertam, & liberâ voce prędicabo, non tam præceptis hisce meis, Iuventutis ad omnem honestatem imbuendæ, quàm vel maximè Exemplo Tuo, Virtute, Purpurâ, CARAFÆI denique Nominis splendore ac Majestate profuisse. Insulis, pridie Calẽdas Ianuarias M. DC. XLVIII.

CAN-



CANDIDO LECTORI.



N *tibi*, CANDIDE LECTOR, *Opusculum Poëticum de* CULTU DEIPARÆ, *vulgatum pridem illud, si argumentum consideres: nam & à varijs, & variè, id est, solutâ vinctâque oratione, agitatum antea excusumq;. Cæterum ea parte novum videri poßit, quod quæ ab alijs per Elegias distinctas tradita, continuato hic stilo, magisq; didactico exponam: præterquam quod non pauca etiam suggero, quæ ab alijs aut obiter tacta, aut prætermissa. Et hoc quidem satis superq; existimo, ne ex vetere parœmia* actum agere *videar. Quamquam cur Poëtæ non liceat, quod pictori, qui eamdem, de cujus nunc scribimus Cultu,* VIRGINEM, *per diversas, atque alijs, alijsq; coloribus distinctas imagines, citra ca-*

villum

villum repræsentat? Vt fuerit, certè & illud amantium obtendere adlubebit, quod Alexandro quondam Regi usurpatum fuisse memorant : De dilecta numquam satis.

Quod ad rei ornamenta, modumq; scribendi attinet Ovidium sectatus sum: adeoq; à fabularum subinde, & somniorum inductionibus haud planè alienus. Attamen exemplorum, & historiarum promiscua hic vera; nisi quod lacinias quasdam attexui, ut gratiam inderem. Sed nec omisi quæ ad Ethicen pertinebant, formandis moribus. Libro Tertio Fastos quosdam veluti Marianos condere placuit, quibus per intervalla mensium ac dierum, habere posit Cliens Marianus, exercitia quædam apta fovendo in B. VIRGINEM *amori, qui sæpe numero tempore, ut alia plurima, languescere assolet. Porrò ad majorem claritudinem, cuilibet Libro argumentum, & Periocham præfixi: nec visum est adnotatiunculas breves omittere., quas antea in Heroïdum mearum Epistolis, peritioribus haud ingratas; certè opportunas tyronibus fuisse comperi. Vtere ergo*, CANDIDE LECTOR, *& hæc etiam levioris Musæ*

laxamen-

laxamenta boni consule : & verò si in hoc tibi placeo, MARIAM, *quam colere cœpisti, etiam præceptis hisce meis, constanter ama, & cole.*



L I.

LIBRI PRIMI

ARGVMENTVM.

COmplectitur hic liber primę pueritię, ad annum ętatis decimum quartum Institutionem: atque adeò quid maximè cavendum isti ętatulæ, quidve amplectendum ex constituto suggerit: Cuius generis esse possunt exercitia quædam leviora DEIPARAM colendi, quæ primos illos, ac molliores annos condecent: Cæterum quia pueri eiusmodi monitorum necdum satis capaces sunt: promiscua eorum ad parentes & Pędagogos dirigimus: eò maximè ut intelligant: quantùm intersit puerorum institutioni maturatâ operâ incumbere, ne quid vitiorum tenellis animis adhærescat, quod exinde difficulter evellatur. Quæ autem illa sint sequens Periocha fusiùs ostendit.

PERIO-

PERIOCHA
Ejusdem Libri.

I. POëtæ deliberatio scribendi de Cultu DEIPARÆ.
II. Fictio totius Operis argumentum inducens.
III. Operis partitio.
IV. Quantum intersit à pueritia bene educari.
V. Infantes statim à partu, ipsisq; incunabulis DEIPARÆ efformandi.
VI. MARIÆ imago pro sistris & crepundijs pueris offerenda.
VII. Infantes Marianis tabulis inscribendi.
VIII. Primæ puerorum voces non aliæ esse debent, quàm IESVS & MARIA.
IX. Cavendum ne pueri amatorijs fabulis inficiantur.
X. Fabula pueris narranda.
XI. Cavendum ne pueris turpiculæ imagines ingerantur.
XII. Quæ tabellæ pueris objiciendæ.
XIII. Qui lusus pueris permittendi, qui prohibendi.
XIV. Modestia à pueris in templo servanda.
XV. Quod B. VIRGO seria quadam in pueris amet.

XVI. Quis

IOAN-

IOANNIS VINCARTII GALLOBELGÆ INSVLANI E' SOCIETATE IESV

DE CVLTV DEIPARÆ LIBER PRIMVS.

QVisquis amas nomen Marianis addere castris, I.
Huc ades; & musæ iussa capesse meæ.
Belligeram superûm numeris inducimus artem,
Quâ castus pugnet, quaque regatur Amor.
Ille quidem tener est, sed habet sua tela; nec ullas,
Obijciunt duri pectoris arma moras.
Grande rudimentum primis exorsus ab annis,
Prælia non puero gessit agenda puer:
Obvia prostravit fumantibus agmina tedis,
Et tenuit presso subdita colla pede.
Inde a Cyprum aggressus castæ retulisse Parenti
Dicitur ad superas bina trophæa domos.
Altera detractam b Paphio de limine myrtum;
Altera contusas, & sine luce faces.
Prævalet imperio; cui nec bene restitit æther:
Irato excussit sæpius arma Deo.

I. Poëtę deliberatio scribendi de CVLTV DEIPARÆ.

a. *Cyprus Insula maris mediterranei Veneri sacra, unde & Cypris dicta.*

b. *Paphos urbs Cypri, unde & Paphia Venus, & Paphius puer pro Cupidine, passim apud Poëtas.*

Fulmine perdendum Numen spectaverat orbem :
Nitendum contra est, Optima Mater ait.
a.Exemplo binos offert : cecidêre Tonanti
Fulmina : Virgineus miles uterque fuit.
Omnia mollit Amor : quid frustra scribere leges
Attinet ? ipse suum promovet author opus.
,,Sunt quæ naturâ , sunt quæ perdiscimus arte :
,,Non monitis virtus,non labor omnis eget.
Aspice , ut in mediâ spatiosi fluminis undâ,
Navigat à nullo remige doctus olor !
Quidquid apes fingunt nulla didicêre magistra ;
Melleus effictis fit labor ipse favis :
Tuq; inter volucres princeps,philomela canoras,
Dux tibi fundendo carmine sola præis.
Sunt & Virgineos commenta iuvantia Cultus:
Navigat hac pronâ picta phaselus aquâ.
Scilicet ingenuum pectus cum nacta MARIA est,
Imbuit , & segnes non sinit esse manus.
Et pulchra est, & habet quidquid bene possit amari:
Materiam flammæ suggerit ipsa suæ.
Fac tibi proposito decurrant esseda campo;
Anteït admissas quaslibet illa rotas.
Novimus b.Alphonsum:VIRGO (jactare solebat)
Vror : nec flammæ est par tua flamma meæ.
Errabat, quamvis nec sic culpandus amator :
Materni major pectoris æstus erat.

Quid-

a. *SS.Frãciscus & Dominicus à B.Virg oblati irato in homines Christo,eisq; extremam perniciem minitanti, tela excutiunt.* Surius & Rib.in vita.

b. *Alphõsus Rodriguez Soc.* IESV, *mirè in B.Virg. affectus cum inter orãdum amoris æstu abreptus dixisset: plus se* MARIAM *diligere quã ab ea diligeretur: Id respõsi à B.Virg accepit.* Haud ita est Alphonse, plus ego te amo, quàm tu me amas.

Quidquid id eſt, MARIA vocat, quiq; agmē amātū
VIRGINIS ad poſtes candidus Ales agit.
Nempe(fatebor enim) quà culta ſuburbia vernāt, II.
Vdaque Deulæis *a*. Inſula ſtagnat aquis :
Arboribus denſam dum fortè perambulo vallem,
Aliger aſpectus conſtitit ante meos.
Innixus ſalici *b*. Marquettæ ad limina DIVAE
Stabat; & in vultu ſigna dolentis erant.
Acceſſi propiùs : rapiebat adire volentem
In mœſto pulcher qui fuit ore color.
Mox ſimul ac gemitu reſpondimus; illice vultu
Annuit, & vanos iuſſit abire metus.
Flectere ſæpe oculos Marquettam viſus ad ædem,
Auxiliumque ſacri ſollicitare loci.
Inde librum promēs(nam librum axilla tegebat)
Quod damus, hoc DIVAE ſit tibi munus, ait.
Accipio; Matris Cultum, prçcepta MARIAE
Prodebat titulus : cætera charta fuit.
Quæſieram cauſam; quærenti ſubdidit Ales :
Quod vacat hęc Elegis charta replenda tuis.
Sume animos, *c*. priùs ora tibi quę libera fecit,
Scribentis dubiam diriget illa manum.
Protinus incalui; nec iam dubiumve, metuſve
Eſt ſuper, aut ullus pectora torpor habet.

A 2 In-

II. Fictio totius Operis argumentū inducēs.

a. *Inſula Gallicana Flandriæ oppidum, quæ Deula fluvio à Septemtrione irrigatur.*

b. *B. Virg. ædicula ad Marquettenſe D. Ber. cœnobium prope Inſulam.*

c. *Auctor Deiparæ beneficio linguæ ſcabritie ſolvitur, quò in Societatem admitti poſſit : cuius acceptæ gratiæ memoriā hoc chronico adſtrinxit.*

LIngVa Mea LaVDabIt te.

Interea quęsisse iuvat, cur humida fletu
Lumina; cur madidis fascia pressa genis?
Ille gemens, pereunt, (dixit) mea turba puelli;
Inque artes ætas instituenda meas.
Quod potui, feci ne non imbuta maneret:
Turba sed exitio pronior illa suo est.
Mille per insidias, pereundi mille per artes
Voluitur: innumeris nec minus apta dolis.
Est puer (invito quid & hunc producimus ore?)
Perfidus: à vafrâ Cypride nomen habet.
Compita nudus obit petulantior, utitur arcu:
A tergo pharetræ pensile gestat onus.
Ex illo passim formosa incendia fumant:
Captivæ lugent ad sua iussa nurus.
Vt cessent, quamvis nequeunt cessare sagittæ;
Pellaces vultus in sua bella gerit.
Quid iuvenis, vultu caperis? fuge basia, lædunt:
Inficit attractas dextera iuncta manus.
Adde, quod & pueros maternâ fascinat arte,
Nequitięque suę non sinit esse rudes.
Pro! quoties pupum mentitur, & insidet ulnæ!
Lęsaque formosum fœmina portat onus!
Sæpe quidem (fateor) Marianis victima sacris
Concidit: impatiens sed tamen æstus erat.
Hinc nova bella ciet: Genitrix thoraca ministrat,
Cusaque Lethęis a. Vitricus arma focis.
Tu contrà molire gradum, lauroque virente
Instrue solemnes ad mea festa vias.
Efficito ut juvenis discat, qui nescit, amare
Quod decet: inventis aëra rumpe tuis.

Sic

a. *Vulcanus apud Poëtas faber Deorum habitus est, quibus tela & arma in Lemno Insula fabricabat: huic postea Venerem nupsisse ijdem Poëtæ fabulantur.*

Sic illibatos calamo cum sparseris ignes,
Candidus a. Idalij vulneris ultor eris.
Dixerat, indolui : sęvumque accensus in hostem,
Sollicito pressi talia verba sono.
Heu ! ubi castus Amor, telo & victricibus armis,
Cui spolium impurę cesserat ante Deæ ?
Exul abest, inquit : terrarum infecta reliquit
Compita : vix illic candidus hospes adest.
Sũma placent, nullas quà sol fuscatur ad umbras:
Quà teritur nigris semita nulla procis.
Si quæras quid agat cœli aurea limina circùm:
Suspirans nostros visit, obitque choros.
Interdum ad Matrẽ queritur, memoratq; trophęa
Plurima ab hostili sæpe relata manu.
Cur terris modò pellor ? ait, cui Numen, & orbis
Cessêre imperio subdita facta meo !
Illa manu puerum mulcet, caussamq; malorum
Arguit effictos Cypridis arte dolos.
Sume alas, pharetramq; humeris fulgẽtibus apta:
Quæ renoves terris iam tibi bella dabo.
Accurrent trepidique senes, iuvenesque, virique:
Nec puer ad cunas destituendus erit.
Interea votis aptum tibi selige vatem;
Hunc, mihi quæ cara est Insula fortè dabit.
Vtque magis casti fiat præceptor amoris,
Fac primus flammas sentiat ille tuas.
Dixerat hęc VIRGO : geminas Amor induit alas,
Corripit & prompta tela vibranda manu.
Applausêre hylares Genij, bellumque paranti
Dicuntur festis accinuisse modis.
Hic teretem nervis tetigit stridentibus arcum :
Inscriptus titulo VIRGINIS, arcus erat.

 Hic

a. *IDalium Cypri oppidum, Veneri sacrum.*

Hic pharetram laudat, formosas ille sagittas:
Et prope iam factum cuspide vulnus habet.
Plausit Amor dictis, telumque volatile torsit:
Illuxit toto missa sagitta polo.
Hæc ubi, dilutas Ales defecit in auras:
Attamen in nostro pectore flamma fuit.
Succlamo, bellè est: Elegi gaudete, Maria
Vos habet; obscurum nuper eratis opus.
a. Improbe cede procul Paphiâ cũ matre Cupido:
Mariae vates, non tua turba sumus.
Casta canam, castę vati succurrite Musæ:
Tuque fave cœptis, casta Maria, meis.
Principiò pueros, queîs prima & mollior ætas,
Finget Apollineæ Musa canore lyræ.

III. Mox labor alter erit iuveni præscribere leges:
Attinget canos tertia cura senes.
Hic modus; hoc triplex calamo sulcabimus ęquor:
Pulsanda in summas hac erit alnus aquas.
Dum licet, & primo stat adhuc tibi littore puppis,
Consule tunc ventus quis tua vela vocet.

IV ,, Tẽpora prima iuvant: primis occurrere morbis
,, Vtile: neglectus quod gemat, ęger habet.
,, Cum tenera est, quosvis arbor curvatur in usus:
,, Sauciat admotam cortice dura manum.
,, Quem quondã pullum imbellẽ mulcere solebas,
,, Grandior obsistit, frænaque mordet equus.
,, Tem-

III. Operis partitio.

IV. Quantum intersit à puero benè educari.

a. *Creditur Ovidius libros profanos de arte, amãdi, ubi Venerem & Cupidinem celebrat, sumpsisse circa Nativit. Christi: contra quẽ Author æmulus Mariæ & Christo purum Amorẽ adscribit.*

,,Temporibus sic quæque suis durātur & obsunt:
,,Difficile est puero facta, negare seni.
,,Credite & ille suâ mores aspergine tingit
,,Qui prima infantum proluit ora liquor.
a.Hassia testis erit quà densior ilice frondens
Occultant avidas tesqua profunda feras.
Venerat huc mater puerum complexa biennem,
Errabat dubio per loca sola pede.
Fortè per umbrosos dum pergit ad invia saltus:
Erranti occurrens viscera fodit aper.
Saucia congemuit casum miserata puelli:
Perdebant uno vulnere fata duos.
Flet puer, & matrem, matrem vocat; ubera flenti
Præbuit : hæc pietas ultima matris erat.
Dum sugit, mixtum lacti suxisse cruorem
Dicitur, & medio procubuisse sinu.
Oscula carpebat, sed non nisi frigida carpsit
Oscula : nec solitâ continuata morâ.
Vesper erat, nigræ terrent umbracula sylvæ:
Nec comes ad tutas ulla relicta vias.
Reptabat sine matre puer, cum lustra ferarum
Antraque montanæ fertur adisse lupę.
Quò pergis deflende viris, deflende puellis?
Siste gradũ, latebram quam petis, hostis habet.
Dum subit, infixa est vicino palla vepreto:
Vepretum, infanti ferre volebat opem.
Nempe lupa obscuros catulos lactabat in antro:
Quis credat puero non nocuisse feram.
Non nocuisse parum est, prodest quoque scilicet inde,
Et minus ex vero tunc lupa dicta fuit.

A 4 Vbe-

a. *Puerum lupum, à lupa scilicet enutritum, qui in altis Hassiæ nemoribus ablatumq; Henrico Comiti scribit Spondanus.* Tom. 1. Annal.

Vbera dat, parvo caudâ blanditur alumno :
　Exsiccat madidas lingua cruenta genas.
Ille feram patiens advoluitur, ubera ducit;
　Et non sperato corpora lacte fovet.
Sępè ferunt catulos inter, ne bruma noceret,
　Villoso medium procubuisse toro.
Induit inde lupum : fuscantur sanguine venæ:
　Horrescunt duris mollia crura pilis.
Vt pecus, obliquo flectit vestigia dorso :
　Vt pecus, insuetum dextera tentat iter.
Iam didicit prodire foras, matremque secutus
　Exterret pavidas insidiator oves.
O! quoties agnam vultu spectavit acerbo,
　Et dixit! posthac præda futura mea est.
Fortè sub occasum faciente crepuscula a. Phœbo,
　Quà sylva attonsis desinit alta iugis.
Viderat hûc pastor Melibœus, &, improbe clamat:
　Constitit, & falso fugit uterque metu.
Hassicus interea strictis venator in armis,
　Excitique ruunt per iuga summa canes.
Ille sudem, hic lato portat venabula ferro:
　Ponuntur varijs retia tensa locis.
Iam valles, Sylvęque fremunt latratibus altę:
　Strident funesto cornua rauca sono.
Præda levis primùm lepores, damæq; fugantur.
　Currentes stimulat, subsequiturque pavor.
Hinc quà vallis abit nemoroso incidua saltu,
　Erumpit sęvo dente cruentus aper.
Nec sua sunt spelæa lupis, tutæve latebræ :
　Has subeunt fumo, cuspidibusque premunt.
Hîc puer est, lucemque timet, refugitq; videri :
　Infelix verum se putat esse lupum.

Ter

a. *Phœbus idē quod Apollo sive sol Iovis & Latonæ filius, ita dictus quasi φῶς τοῦ βίου, id est, lux vitæ.*

Ter clamare volens, ter destitit: oraque quatto
Cum movet, absurdos ora dedere sonos.
Captus erat, nec se mulceri more ferarum
Sustinet: imprudens quod iuvat, odit opus.
Ah! quantùm reperisse feram, crevisse lupino
Lacte fuit! puer hoc serius, alter eris.
Quid tibi loturas fundant carchesia lymphas,
Assueto lapsis imbribus ora lavi.
Nec tua consutas patiuntur corpora vestes;
Vt prius in nudâ nuda reponis humo.
Sępe ferunt ululasse lupum; fugisse bidentes,
Et sua turbatas funera cortis aves.
Diceris & tepidum pecudis linxisse cruorem
Sæpius, & crudas dilaniasse dapes.
Vt quadrupes graderere manu, retinacula soluis:
Et malè, desineres ne lupus esse, fugis.
Cætera quid memorem? Sylvestria pectora serò
Hunc positâ narrant dedidicisse ferâ.
Hoc igitur teneros potuit lupa mater in annos:
Cur agnus fieri respuis? esse potes.
Bellica pone tuos tantisper, Gallia, motus:
Accedis numeris hac quoque parte meis.
Grande tui columen *a*. Lodoïcũ extollere sceptri
Fert animus, nivei pectoris ille fuit.
Debuit hoc matri Blancę puer: illa monendo
Profuit; arentem ceu iuvat imber humum.
Ah! quoties cave (dicebat) cave parvule, crimen:
Inficit; occultum virus, ut anguis, habet.
An celer auffugias calcato territus angue?
Perfidus admisso crimine tutus eris?

a. *Ludovicus IX. Galliæ rex ita maternis documentis à puero instructus est, ut nullam unquam totâ vitâ lethalem culpam admisisse credatur.* Ribad. 25. Aug.

Nate, places: manus hæc sceptro placet apta regēdo:
(Figit & ad teneras oscula blanda manus)
Arrident oculi, crines & eburnea cervix;
Quique nitet toto regius ore decor.
Attamē huic morbo malim, quam crimine perdi:
Horridior letho culpa futura tua est.
Seu foret orta dies, seu fusco vesper Olympo,
Blanca referre aliter sæpe solebat idem.
Ille memor moniti æternum servasse pudorem
Creditur, & nullo pectora fœda luto.
Sæpe ferunt dixisse, manu cum sceptra teneret
Gallica, queîs summâ lilia parte micant.
Quæ gerimus (caræ sunt hæc præcepta Parentis)
Lilia sunt animo semper habenda meo.
Hoc erit, incumbam, genitrix, semperq; potenti
Imperio virtus gloria major erit.
Quis, a. Lodoïce, vetet Lodoïcū explere sequēdo,
Qui modò crescis adhuc aureus ore puer?
Regius ex illo venit tibi sanguine sanguis:
Quamque colis genitrix, altera Blanca tibi est.
O! patere in titulos virtus assurgat avitos,
Fiat & exemplo Gallia sancta tuo.
Sic decet ingenuas virtuti assuescere mentes:
,, Quod latū à puero est, non malè fertur onus.
Ordior à partu: fæcundæ plaudite matres,
Primaque per numeros iussa tenete meos.
V. Quæ priscis a. Lucina fuit, Lucina MARIA est:
Audit maternas, mater & ipsa preces.
Ergo

V. Infantes statim à partu, ipsisque incunabulis DEIPARÆ efformandi.

a. *Ludovicus XIV. Galliæ Rex annorum 7. ex Anna Austriaca & Ludovico XIII. Borbonio, paterni regni ac pietatis hæres.*

Ergo ubi iam novies exactis ordine lunis,
Instans vicino tempore partus erit.
Vtile tunc prolem tedâ lustrasse futuram,
Et pia Virgineis thura dedisse focis.
Istâ sæpe viâ, laxato viscere mater.
Quod tulerat crescens, dulce remisit onus.
Succedent cunæ, succedet amabile murmur:
Ponentur parvo mollia membra toro.
Proderit & pictâ cunas inscribere DIVA:
Mellifluus pupis ducitur inde sopor.
Nec cantum amoveo, quem grata ancillula cunis
Adstrepat, aut forsan curva susurret anus.
Este tamen procul hinc lascivę cantica lenę:
Ad somnos pueri nulla b. Corinna facit.
c. Cajetaniadi solitæ cantare puello,
Neniolam mater, neniolamque soror.
Sed frustra cecinisse fuit, sopor avolat omnis:
MARIAE cantu conciliandus erat.
Incipe, cara soror, querulo succurrere fratri:
Dura quid in tenero corpore damna foves?
Aspice, ut irrigui lacrymis merguntur ocelli,
Oraque singultu concutiente dolent!
Ergo cantat AVE: scires placuisse tacebat:
Hæret & ad parvas humida gutta genas.
Iam quoque dormitat, sed qualis flante susurro
Lacteus in molli cespite dormit Amor.

Vt-

a. *Lucina priscis Dea partuum præses habita, à ferenda pueris luce.*

b. *Corinna Ovidij amasia.*

c. *Franciscus Cajetanus Soc.* IESV *ex Illustri Cajetanorum apud Sicilienses familiâ cum adhuc infans in cunis vagiret, non nisi ad suavem* AVE MARIA *cantilenam obdormiscere consueverat.* P. Alphonsus Cajetanus in vita.

Vtque isto somnum venisse putaveris hymno ;
Sopito roseus mansit in ore colór.

VI. Nec pueros madidæ fingunt tantummodo cunæ:
In matrum gremio commoda plura ferunt.
Est aliquid carum præter portantia pignus
Brachia, quod pueris utiliterque geras.
Da Divam infanti seu puro splendeat auro,
Seu fictum a. Libyco dente nitescat ebur.
,,Non semper fletus agitata crepundia sistunt:
,,Solamen pupo sæpe Maria fuit.
Parvus erat, magnos inter numerãdus b. Aquinas,
Portabat majus corpore mater onus.
Fors digitis chartam versabat: sistra tenentur,
Non tenera infantûm fortiùs ulla manu.
Nec satis est tenuisse manu, dedit oscula chartæ,
Oscula per longas pressa, repressa moras.
Viderat hoc nutrix, chartamque avellit ab ore;
Flet puer; Angelicum nempe ferebat Ave.
Pollice nequidquam madidi siccantur ocelli ;
Nequidquam arridens brachia jactat anus.
Dic mihi formosi Custos formose puelli,
Quantus in exiguo corpore planctus inest!
Ora gemunt, totum doctura fideliter orbem;
Singultus pueri publica damna movent.
Cerne genas molles, lacrymis manantibus udæ;
Expressent magno crimina facta reo.

Hæc

VI. Mariæ imago pro sistris & crepundijs pueris offerenda.

a. *Libya pars Africæ elephantorum ferax, ex quorum dentibus ebur ad varios usus trahitur.*
b. *S. Thomas de Aquino Ord. Prædicatorum.* Vide Ribad. in vita 7. Martij.

Hæc Genium movisse reor; nutricis in aurem
Subdidit occulto talia verba sono.
Quod facis ha! frustra est: chartā redhibeto, silebit:
Quas fundit lacrymas illa dat, illa rapit.
Reddiderat, pressis subitò vagitibus infans
Conticet, & fletus combibit ore suos.
Dic agedum (nec enim temerè percūctor) Aquina,
Vt premeres chartam, quæ tibi causa fuit?
Accessisse tibi primis velociùs annis,
Et niveos mores, ingeniumque putem.
Ter madidis pressisse labris, liquisse papillam
Diceris: in charta plus tibi lactis erat.
Hanc quoque ne rursum fiendi tibi causa rediret,
Visceribus dicunt occuluisse tuis.
Vtile præterea primo quantumlibet ævo, VII.
Infantes sacris inseruisse choris.
a. Est liber, antiqui tabulas dixêre MARIAE,
Belgarum ducibus, Cæsaribusque sacer:
Magna micant ibi Heroum nomina: quāquam
Nec puer, aut scripto divite, pauper abest.
Consule Lilleïdas, tabulis inscripta videbis
Nomina, sæpe suo juncta nepotis avo.

Exci-

VII. Infantes Marianis tabulis inscribendi.

a. *Sodalitiū extat perillustre B. Virg Cancellata, ita dicta à Cācellis sive clathris quibus obducta est, apud Insulensem in æde Collegiata D. Petri. Cœptū illud est à Comitibus Flandriæ, ob plurima miracula quæ illic patrabātur; ante ānos fermè 400. Id exempli, secuta est Nobilitas Belgica: atq adeò anno 1635. Ferdinandus II. & III. Cæsares, cum Vxoribus totaq Austriaca familia, augustissima sua Nomina ijsdē tabulis inscribenda Viennâ miserunt.* Vide Hist. Cancell. cap. 31.

Excipit hos Virgo fulgentibus ardua *Clathris*,
Quà sua Petræus templa coronat apex.
Vera canam, *a.* patriæ fas sit præconia nostræ
Dicere, deque Sacrâ Virginis urbe loqui.
Insula, Belgarum populi non ultima sedes,
Virgineis pridem cognita terra locis.
Quam modò te dicam? titulos excedis avitos,
Iamque aliquid primo tempore majus habes.
Culta Maria tibi est: cives sensêre patronam
Sæpius, hostiles extimuêre manus.
Maxima solemnes subeunt miracula ritus;
Perdurat totâ lætior urbe salus.
b. Finge colum, ternæ cui tetrica turba sorores
Incumbunt, fusos evoluūntque suos.
Sunt quibus exilem nent putri stamine vitam,
Nec fata in longos fortè trahenda dies.
Serica qui pexo diducunt murice fila,
Vivit; & intactum forfice durat opus.

Ista

a. Insula Gallo-flandriæ Metropolis in Belgio auctoris patria, ante annos 12. solemni pompa ac ritu B Virg. Cancellata dedicata est. Extat adhuc hodie dedicationis eius chronicon in labaro holoserico, aureis litteris descriptum.

B. VIrgInI CanCeLLatæ
senatVs popVlVsqVe
InsVLáM
ConseCrabant.

b. Parcæ Deæ fatales apud poëtas, quæ nendis vitæ hominum staminibus occupantur, eisque secandis. Dictæ autem sunt Parcæ per antiphrasim, quod minime parcant. Habitæ sunt noctis & Erebi filiæ, quarum nomina sunt Clotho, Lachesis, Atropos.

Ista Marianos circumdant licia *clathros*
Et fati auspicium prosperioris habent.
Quid, quod Parcarũ nunc firmat stamina VIRGO;
Nunc revocat vacuas ad sua pensa colos?
a. Mater erat, fama est (nec famæ incerta vetustas)
Ægra cui clausum membra gravabat onus.
Quid faciat? languet: novies iam luxerat orbi
b. Cynthia, & admissos dena movebat equos.
Nititur ad partum, partusque doloribus impar,
Vix superest: clausum viscere funus erat.
Parve, dolor matris, genitali, extincte sub aluo,
Iam fient cunæ funebris urna tuæ.
Iam tibi quæ fuerat teneros vinctura lacertos
Fascia, ad inferias ultima vestis erit.
Flet mater, sociæque nurus: ah! parvule, clamant:
Hæccine summa dies, quæ tibi prima fuit?
Fœminei planctus resonat miserabilis echo:
Infantis casum tristia Saxa gemunt.
Cum subitò cõversæ omnes, quid flemus inultæ?
Exclamant: titulum funeris orcus habet.
Corpore quod livet *c*. stygis est color: ocyus ergo
Ad superas nobis vota ferenda plagas.
Sistendum mater, Clathratæ suggerit aræ:
Plus alvo locus hic, plusque parente potest.
Nec spes vana fuit: dictam defertur ad aram,
Et propè quàm tangit, tam propè sentit opem.

Facta

a. *Ioanna Forestia*. Vide Hist. Canc. cap. 18.
b. *Cynthia Luna à Cyntho monte, ubi edita in lucem à Latona, cum Apolline qui & Cynthius dictus est.*
c. *Styx Arcadiæ fons è Saxis profluens, exitiosus cunctis animalibus: hinc à Poëtis pro fluvio Infernali, ipsoq; Inferno passim accipitur.*

Facta cano ; lacrymis ter ocellos sustulit udos,
Ter quoque vagitus edidit ore puer.
Credibile est rubuisse genis, ritúque precantis
Tunc primùm elatas conseruisse manus.
Scilicet hæc fuerant melioris nuntia vitę,
Certaque luciferas signa petentis aquas.
Abluitur, movet ora puer (sensisse putares)
Quaque suam poterat voce salutat Heram.
Quis vetet huc cupidas pueris accurrere matres;
Molliaque admotâ ducere fila manu?
VIII. At moror in parvis: quâquam nec parva vocarim,
Redduntur Dominę qualiacunque meę.
Ergo ubi tempus erit, cum iam nutrice magistrâ
Effingent primos ora minora sonos.
Nomine DIVA suo fac prima silentia rumpat;
Mollius id reliquis vocibus aptat iter.
Dictum fama probat, nec *a.* Iberis conticet ora,
Quà prope devectas *b.* Duria voluit aquas.
Sacra docebantur: pueri, innuptæque puellæ,
Stabant, & densi per sua scamna viri.
Exigit Angelicam *c.* Mystes, urgetque salutem;
Nil agit : attoniti virque, nurusque silent,
Restabant pueri: nec sic superabimur, inquit:
Non cuncta insanus supprimet ora pudor.
Nec mora, pendêtem compellat ad ubera pupum;
Obstupuit genitrix : ille trimestris erat.

Vt

VIII. Primæ puerorum voces non aliæ esse debent quàm IESVS & MARIA.

a. *Iberia Hispaniæ regio, ab Ibero fluvio sic dicta.*
b. *Durius sive Duria Hispaniæ fluvius maximus Lusitaniam à Gallecis disterminans.*
c. *P. Ignatius Martinez Soc.* IESV. P. D'oultreman in Viris Illustribus Soc. IESV.

Vt fuerit, movet ille caput, tenerosque lacertos
Surrigit, Angelicum voce precatus AVE.
Mirantur factum iuvenes, nuptæque, virique,
Et laudant: quamquam succubuisse pudet.
Parvulus interea croceo donatur acantho;
Quem gerit; & mutus præmia vocis habet.
Provehitur, puero iam summovet ubera nutrix: IX.
Ne vitium sugat, cura novanda tua est.
„ Dum tener est ramus minimâ colliditur aurâ:
„ Infantumque animis sæpe pusilla nocent.
Scilicet hos molli petulans ancillula cantu,
Garrulave illoto carmine lædit anus.
Ludicra narrantur: *a.* Mopso celatur *b.* Adonis:
Perque joci speciem sæpius intrat Amor.
Accedunt lepidique sales, & gratia formæ:
Lusa pharetrato *c.* Lesbia Nympha dolo.
Rustica paganæ veniunt ad festa puellæ,
Et duros tentant arte movere pedes.
Quæ socias saltu, vel grato vicerit ore
Adijcit implexis myrtea serta comis.
Hæc fuge, lascivo coalescit fabula visco:
Queque puer necdum crimina novit, amat.
Nec tamen hinc teneris arcemus ludicra pupis,
Sæpe per hæc nutrix *d.* Poppa diserta fuit.

Cam-

IX. Cavendum ne pueri amatorijs fabulis inficiantur.

a. *Mopsus nomen pastoris.*
b. *Adonis Cinyra Cypriorum regis filius, quem Poëtæ ob formæ elegantiam à Venere adamatum ferunt.*
c. *Lesbia, pro quavis amasia.*
d. *Poppa Nutricis rusticanæ nomen.*

X. Campus erat (referes) & crebris humida rivis,
Paſcua, quæ circùm multus obibat olor.
Lenta ſalix ripas, cingebant ultima Sylvæ;
Lambebat viridi quas vagus amnis aquâ.
Huc venêre joci, pupiique minutula turba,
Veſtiti levibus corpora nuda ſagis,
Omnibus ex humero Libycâ pendente pharetrâ,
Ceu pugnaturis aureus arcus erat.
Parte loci, molli quà projacet area muſco,
Pugnandi campus, ſcenaque lecta fuit.
Alta coruſcabat ſupremâ pertica virgâ:
Figendam telis clavus habebat avem.
Ergo genu cuncti preſſos curvantur in arcus,
Certaque diſtento ſpicula fune regunt.
Eſt agger, campo vernat ſublimior æquo:
Hinc data belligeræ ſigna canore tubæ.
Ecce volant miſſæ nervo reſonante ſagittæ;
Aut telo, aut vibrans aëre nutat avis.
Spicula prima leves diſtringunt irrita ventos:
Quæ ſequitur, propiùs miſſa ſagitta fuit.
Illa ferit roſtrum, tremulas hæc decutit alas:
Hæc legitur, volat hæc: hæc cadit, illa jacet.
Aurea dilutas effulgent tela per auras,
Et manus, & voces ſpicula miſſa ferunt.
Pupus erat, croceo cui palla argentea limbo,
Ornabat medios faſcia rubra ſinus.
Ille oculo ſortitus avem, ſortitus & arcu:
Hæc mihi debentur præmia, dixit, habet.
Dictum tela premunt; lapſus ruit æthere paſſer:
Per liquidas abeunt cætera tela vias.
Fit clamor, regemque vocant, regemq; ſalutant;
Vicinum reſonat plauſibus omne nemus.

Quine-

X. Fabula pueris narranda.

Quinetiam exultim cygnos per puncta dedisse
Longa ferunt lenes per sua colla modos.
Mox ubi vicini, præbent absentia terga;
Parvaque cygnæis turba vagatur equis.
Nec ripæ cohibent quin obvia flumina tranent;
Adiuvat insuetas vector & unda rates
Horridus interea Sylvis draco fusus opacis,
Sibilat, & pressam corpore fœdat humum.
Lumina bina micant, crebrescit anhelitus oris
Igneus; & tactos, quâ volat, urit agros.
Institerant dumis merulæ, cecidêre perustæ
Ignibus; hoc etiam funere, passer, obis.
Parte alia matrona subit: comitatur euntem
Aurea per pennas turba corusca suas.
Nec mora, sublatâ chlamydis velamina dextrâ,
Ventilat; ut fugerent signa monentis erant.
Quinctiam cum iam possent audire loquentem,
Narratur tales ore dedisse sonos.
Huc omnes properate citi, draco lethifer instat;
Actum est, ô Pupi, ni properatis, ait.
Nec mora, sicut erat, tunicas induta fluentes,
Explicat; hi subeunt, & timor exul abest.
Pluraque Virgineæ præstant tentoria pallæ;
Aërijs populus fingitur ille plagis.
Nempe leves tunicæ pictás vertuntur in alas:
Vt byssus vestis, pennaque byssus erat.
Summa petunt, cœloque leves funduntur aperto;
Et redit in gyros plumea turba suos.
Quale per æstatem tranare volatile vulgus
Conspicis, & liquidas ire, redire vias.
Hos draco prospectans frustraque accensus in irâ,
Sulphureo longos expuit ore focos.
Tunc bene deposito velamine, quid nova celet
Fabula; quò tendat, dicere tempus erit.

Hor-

Horridus ille draco, satanas : Matrona Maria
Sub tunica (pueros) quos fovet, illa beat. (est;
Sic sævit Satanas, stygis exitiabile monstrum :
Sic sua Tartareo gutture tela vomit.
Hunc cruce signati frontem fugitote puelli;
Tutaque maternæ castra subite togæ.

XI. Auribus hæc, oculis (nam sunt quoque) damna moventur
Plurima, ni solers id quoque cura cavet.
Qui nudum primus tabulâ depinxit Amorem,
Criminor impuras hunc habuisse manus.
Sæpe ego devovi tabulam (quia fœda nocebat)
Cur cineres, dixi, non premit usta suos ?
Si quæris molli quæ sint arcenda puello:
(Nec meus hîc lucro desinet esse labor.).
a. Mutata in formas cave corpora : fecerit olim
b. Pelignus, dubites an Cypris illud opus.
Visitur hic pluvio *c*. Danaë corrupta metallo,
Raptaque mentito *d*. Cressa puella bove.
Inde lavaturæ perdunt *e*. Actæona Nymphæ :
Tunc oculos vellet non habuisse suos.

Plura

XI. Cavendum ne pueris turpiculæ imagines ingerantur.

a. *Metamorphosis Ovidij cum imaginibus.*

b. *Pelignus vates, Ovidius à Pelignis Italiæ populis.*

c. *Danaë Acrisii filia à Iove in pluviam auream verso corrupta.*

d. *Europa Agenoris phœnicum regis filia, ab eodem in Taurum mutato, & Cretam abducta.*


e. *Actæon venator Dianam cum Nymphis lavantem conspicatus, in cervum mutatur & à suis canibus laniatur.*

Plura per umbrosas fumant incendia Sylvas :
Quà minimè reris, spicula vibrat Amor.
Cernis ut aspectæ *a*. Narcissus imagine formæ
Æstuat, & visis languet amator aquis ?
,,Plurima spectãdo veniunt mala, quique puellus,
,,Sæpius hîc Amor est, hîc Amor, inquit, amat.
Arceat hoc mater, si vult bona mater haberi,
Arceat; oppositis erudiatque notis.
Iuverit exiguis nunc IESVM ostendere cunis; XII.
Nunc ad maternos restituisse sinus.
Fac *b*. Zachariades picto tibi luceat auro :
Delitias alter nuntiat, alter habet.
Nunc *c*. Gusmaniadẽ, circumque Rosaria mõstra:
d. Nunc quem Divinus sauciat igne Seraph.
Nec (puto) *e*. Loiolides aberit, qui fortis IESV
Vltima belligeræ signa cohortis agit.
,,Ignavos exempla movent : puerilibus annis
,,Quę placuêre, viris post quoque bella placẽt.
Qualis eris stygium quando succensus in hostem,
Divino rumpes pulpita sacra sono !
Qualis eris cum laponiæ novus incola terræ,
Ardebis medijs victima clara focis !
Quid modò si grave sit tabulas producere ? ferre
Multa sub aspectus una tabella potest.

Sit

XII. Quæ tabellæ pueris objiciendæ.

a. *Narcissus puer elegantis formæ quam in fonte conspiciens, eiusq; Amore extabescens in florem sui nominis convertitur.*
b. *D. Ioan. Baptista à Zacharia patre.*
c. *S. Dominicus ex regia Gusmanorum familia apud Hispanos.*
d *S. Franciscus Seraphicus.*
e. *S. Ignatius de Loiola Soc.* IESV *fundator.*



Sit tibi iudicij facies depicta dieſque
Qui cœli primus, ultimus orbis erit.
Hinc tibi quæratur varij ſermonis origo,
Et moveat primos lingua magiſtra ſonos.
Imâ parte loci, quà denſo ſulphure fumans,
Implicitos *a.* Erebus torquet in igne reos:
Tartara monſtrabis, fœdiſque horrentia formis
Spectra, per afflatus ignea facta ſuos.
Parve, quid hęc? dices: & tanquã incendia lędãt,
Picta licet, referes protinus inde manum.
Parce puer, donec veniat tibi grandior ętas,
Vtiliter nobis decipiendus eris.
In ſumma radiat quà picta coloribus Iris,
Et medio ardentem ſuſtinet orbe thronum;
Iudicis hîc ſedes: tonat iſthinc fervidus ore,
Et proturbatos cogit ad ima reos.
Hinc quibus eſt recti mens cõſcia, nubibus infert:
Quod ſignat flavâ mitis oliva comâ.
Proxima quæ rutilum ſpectat regina Tonantem;
Sępe vocanda tibi eſt, ſemper amanda Parens.
Aſpice ut ęthereâ ſe profert nube, tribunal
Temperat; irato ſubſtrahit arma Deo.
Oſcula fer tabulæ, nihil eſt formoſius illâ,
Candida quà placidæ Virginis ora nitent.
Inde per elatas quà deſinit area nubes,
Et radiant pictis longa theatra choris:
Ad ſuperos iter eſt, magnique palatia cœli;
Aſpice turba iſto quàm micat alba loco.
Talis eris (parvus digito monſtrabitur Ales)
Chriſtiparæ vivis dummodo cultor Herę.
Iſta docebuntur, poſito dum frigore brumæ,
Accedet quinto vere ſerendus ager.

Inetrea

a. *Erebus Fluvius Inferorũ & ſæpe pro Inferno apud poëtas: quidam noctis maritum fuiſſe fabulãtur.*

Interea occurrent ludendi mille figuræ: XIII.
Huc pueri quovis tramite turba ruunt.
Lude puer, nec enim graviori carmine censor
Perstringo lusus, impediove tuos.
Quis prohibet versare trochũ? quis arundine lõga
Currere, & aggesto fingere castra luto?
Nec pila, nec celeris removetur cura sagittæ;
Quæque capit jactas parvula fossa nuces.
Quin nec bella veto, Martemque imitantia signa,
Signa per adversas sæpe movenda manus.
Tympana pulsantur: dat raucum vitrea signum
Buccina; fert parvus lignea tela puer.
Et modò dirigitur, gyro modò cogitur agmen:
Fictaque captivus vincula miles habet.
Parva monere piget, quamvis expertia culpæ:
,,Multa tamen vitij proximitate nocent.
,,Sæpius innocuis obrepunt jurgia ludis;
,,Et sua formicæ noxia bilis inest.
Vidi ego qui glebâ primùm pugnabat agresti,
Mox lapidis jactu redditus hostis erat.
Et loca conveniunt, & sunt sua tempora ludis: XIV.
Quà licet, & par est ire movendus equus.
Turpe (quod est matrum) pueris petulantibus ædem
Turbata sacram relligione teri.
Hic plorat, salit hic, juncos trahit ille sequaces;
Everrunt longam scirpea plaustra viam.
Dedecet hæc pueros levitas, infansque MARIA
Intempestivum trimula damnat opus.

Casta

XIII. Qui lusus pueris permittendi, qui prohibendi.

XIV. Modestia in templo à pueris servanda.

Casta ferebatur Solymo Virguncula templo,
Nec materna pium brachia lassat onus.
Hęc Annæ brevibus collum complexa lacertis,
Imus, ait, Mater, quò sacer urget Amor?
Felices muri, felicia templa Sionis,
Templa diu votis ante petita meis!
Mox quoque(tantus amor Solymam contingere) quærit
An mediâ possint forsitan esse viâ.
Iam loca contigerant: gradibus de marmore factis
Constitit: optatam tangere gestit humum.
Ibo, ait, & celeri scandit fastigia gressu:
In celeri gressu parsque decoris erat.
Mox ubi thuricremis hæsit vicinior aris,
Et molli pressit marmora sacra genu.
Lacteolas fertur tendens ad sidera palmas,
Formoso tales ore dedisse preces.
En me, summe Deus (quid prodam nomina?) nosti·
Parva a. Ioachimis, parva MARIA vocor?
Non ego spectatum venio, quam tangimus, ædē,
Non tecta aurato facta superba tholo.
Hoc faciant, quibus est tantummodo cura vidēdi:
Major in arcano pectore flamma calet.
Nazarias animo, non tantùm corpore, sedes
Liquimus; hic famulę (si sinis) instar ero.
Nec spatiū mihi grande sacris penetralibus opto,
Angulus hospitio quilibet esse potest.
Orabat lacrymans; lacrymę iuvêre precantem:
Nec decor his aberat, nec sacer ignis aquis.
Ite per exemplum matres, itote puelli:
Præsidet augustis Numen, inestque locis.

Pro-

a. *B. Virgo Ioachimis dicta, à Ioachimo patre.*

Proderit interdum ludo ſuperaddere pondus, XV.
In pueris quædam ſeria Mater amat.
Eſt prope quà a. Pharios adlambũt ęquora portus,
Planities, pueris notior urbe locus.
Alliciunt molles, attonſi ceſpitis herbæ,
Aptaque jactandis area longa pilis.
Littore conſtiterant; cum turba major in illâ;
(Quinquennem ſupra fortè biennis erat.)
Ludamus, quoniam pariles convenimus, inquit:
Grex eritis, locus hic paſcua, paſtor ego.
Nec mora, ceu præſul ſeſe ludentibus infert;
Proque pedo in dextrâ fraxina virga fuit.
Et modo voce puer pueros, modò fonte piabat:
Vruntur parvis thurea grana focis.
Ordine procedunt, dicitque precantia verba:
Accumulat iuſtas cætera turba preces.
Viderat hoc cœlo ſpectans MARIA ſereno,
Plauſit; & hoc, inquit, præſulis omen habet.
Dicta fides ſequitur: venientibus ordine fatis
Creſcit, & ad Pharias præſidet ille plagas.
Immoror exemplis, nec me cenſura coërcet:
Conveniunt ſtudio ſexus uterque pari.
b. Muſa fuit, teneras inter laus prima puellas,
Ac, modò ſi ſinerent, candida tota, joci.
B Non

XV. Quod B. VIRGO ſacra quædam in pueris amet.

a. *Pharoi Ægypti Inſula iuxta Alexandriam, ubi Athanaſius puer ſocijs colludens ſacros Eccleſiæ ritus imitari conſueverat: quod pro augurio futuri aliquando Epiſcopatus habitum eſt, evenitq́.* Ribad. 2. Maij.

b. *Muſa puella ruſticana, cuius hiſtoriam, felicemq́; obitum deſcribit.* S. Greg. lib. 4. Dial. c. 17.

Non patitur Virgo: nec enim levitatis amantes,
Sustinet, ingenio, dissimilesve suo.
Ergo siderea cœli delabitur arce,
Quaque venit clarum lumine signat iter.
Illius accessum primæ sensêre iuvencæ,
Lætaque mugitu signa dedere suo.
Assiliunt lætis balantes matribus agnæ:
Latratum muto supprimit ore canis.
Musa iocabatur; calamos inflabat a. Iolas:
Non crimen, leve quid, sed tamen istud erat.
Constitit ut propiùs ludentem Diva puellam
Blanditie missa, durior ore petit.
Ecquid erit tandem permixta modestia ludo?
Istos mitte iocos, Musa, placebis ait.
Cernis? & in niveam defigere lumina turmam
Imperat; has inter mox tibi nomen erit.
Nec statuo longum pensando tempus amori:
Vno (parva mora est) mense placere potes.
Dixerat hæc; abiere procul nugæque jocique;
Iam quiddam quod agat corpore maius habet.
Edita frondoso surrexerat arula tecto,
In medio Divae parva tabella fuit.
Casta Sacerdotem (nec & hoc malè) Musa
gerebat:
Altera fert violas, altera dona preces.
Ah! quoties illic teneros dum cantat amores,
Purpureæ lacrymis immaduêre genæ!
Ah! quoties pictæ dum figit basia Divae,
Facta est à lacrymis uda tabella suis!
Vix illam matri fas est agnoscere; tantò
Sanctior, & tantò quàm modó major erat.
Mirantur socij pueri, sociæque puellæ,
Et dicunt: non est Musa, quod ante fuit.
Dicta

a. *Iolas nomen pastoris.*

Dicta dies aderat: sensim languescere corpus
Cœpit; & occulta vena micare febri.
Fallimur, ah! febrē malè nomino: solus Amoris
Emissus pharetrâ scilicet ardor erat.
Vt fuerit languebat amans: cum visa repentè
Clara per aërias turba venire vias.
DIVA chori princeps pallâ spectabilis aureâ,
Cogebat reliquos ad sua jussa pedes.
Vtque prior subijt Musæ langentis in ædem,
Proxima vimineo discubuitque toro.
Huc ades, ô, roseis subridens DIVA tabellis,
Huc ades; amplexus accipe, Musa, meos.
Audierat teneroque caput suffulta lacerto:
Fallor? an (exclamat) me, mea DIVA, vocas?
Nulla mora est, venio: venio tibi servula, quāvis,
Tardior admissi facta pudore mei.
Ardor erat, Mater: Sed dicere plura volentem
Destituit medio vitaque, voxque sono.
Illa triumphanti fertur superaddita turmæ:
Quaque volant cœlo clarior aura nitet.
Viderat hoc aliquis terram dum versat aratro,
Substitit, & cœptum stiva reliquit opus.
Ergo permissis admisce seria ludis,
Quisquis es; & nimios ore repelle jocos.
Quid tibi cum Mopso? quid cum pastrice puella?
Ingenio populi vivit uterque sui.
Observare leves ambo didicêre capellas:
Hęc nugas tantùm colligit, alter amat.
Corporis in cultu pars est quoque danda decori: XVI.
Sæpè per hunc castus conciliatur Amor.

XVI. Quis corporis habitus, cultusque puerum Marianum deceat.

Munditiæ placeant: loto sit candor in ore;
Sint sine labe manus, & sine labe toga.
Quid tibi si niveâ plantæ celentur alutâ?
Virginei formam tramitis illa docet.
Curabis vitiet ne quæ tonsura capillos:
Neu stringat molles tænia rubra comas?
Pallia si spirant peregrinę pellis odores,
Reijce: judicijs tincta venena meis.
Talia lascivi faciant concede puelli;
Aut quibus ornatrix Cypria lena fuit.
„Quod venerem spirat, Marianum dedecet;arte
„Exigua comi forma clientis amat.
Quin te, *a.* Hermanne, canam? cultum quoque veste tulisti;
Non animo tantùm Matris amator eras.
Eloquar, ut primo pubentem germine,plusquam
Frigoris accessu, septima læsit hyems?
Nempe tibi ductrix & erat quoq; provida mater;
Funere rapta suum desijt ante diem.
Quid facias? charæ deploras fata parentis:
Occubuit mater, quid mihi fiet? ais.
Quid mihi fiet? ais: sonuerunt atria planctu,
Visaque sunt ipso marmora tacta sono.
Tangitur & VIRGO: puerum mulcebimus, inquit:
Accedet curis hæc nova cura meis.
Dixerat, & summos cœli delapsa per axes,
Hermanne, aspectus constitit ante tuos.
Candida vestis erat, suffusi luce capilli:
Iactabant blandas lumina bina faces.

Nec

a. *Hermannus Steinveldensis Ordinis S. Norberti adhuc quid nummorum opus esset ad victum, cultumq; corporis Virginis patrocinio obtinebat.* Surius in vitâ.

Nec mora;pone graves,puer,ô mœstissime,fletus:
Quod fuerat genitrix, hoc tibi, dixit,ero.
Aurea sufficiam monstrato munera Saxo,
Quod sacræ felix angulus ędis habet.
Quid metuas posthac? ipso ditabere voto:
Accedent precibus mollia Saxa tuis:
Ergo ubi vel codex deerat, classemve petenti
Calceus: aut solitis liba diurna cibis:
Ibat amans, supplexque genu, votisque precatus
Moverat ut Saxum, protinus ęra videt.
Nec vultum avertit, visove expalluit auro:
Sævierat nullo carmine a. Colchis anus.
Munus erat DIVAE: non hoc tamen aureus ibat,
Purpura nec nudum vestijt empta latus.
Hunc Genjj in modica semper vidêre lacerna:
Ingenuus cultum Matris habebat amans.
Heu! modò quò cessit dispar mensura priori?
Purpureis ardent corpora parva togis.
Nec tamen hoc vitium ætatis; censura parentum
Major, queîs Paphia comitur arte puer.
Marte jubente ferunt pictos velamina limbos:
Crispantur teneræ matre jubente comæ.
Quid facitis? removete manus: sævire noverca,
Et saga in partus sic solet esse suos.
Parcite læsuro natos corrumpere cultu;
„Evertunt parvas maxima vela rates.
Tempora labuntur; jam septem solibus æstas XVII.
Canduit, & curvâ falce resecta Ceres.

B 3 I, puer,

XVII. Quid anno ætatis septimo ac deinceps agendum.

a. *Colchis regio Asiæ juxta Pontum, Medea patria, veneficijs olim famosa apud Poëtas.*

I, puer, atque annis majora moventibus aude;
Dumque potes, prima corripe lora manu.
,,Neu genio fidas, citò deficit; adstrue mentem:
,,Qui bonus, urticâ sæpius horret ager.
,,Non aliquis subitò fit pessimus: abdita serpunt
,,Toxica; perque gradus ad sua damna suos.
,,Tempore conteritur tactum rubigine ferrum:
,,Tempore collapsis Saxa teruntur aquis.
,,Hic hodie nævus, cras alter serpet, & inde
,,Tertius; & quarto proximus alter erit.
XVIII. ,,Prima mali labes pueros consortia lædunt;
Hæc fuge qui primum miles ad arma venis.
Sunt qui dissimulant, sunt qui petulantiùs audent;
Ne tibi sim dubius censor, utrosque fuge.
Quàm sæpe ad furtum socijs præeuntibus itur,
Vicinasque ferit pertica longa nuces!
Hoc cerasus, raptis hoc luget pampinus uvis?
Devovet occultas sæpe colona manus.
Inde *a*. Tagastini collectum crimen ephebi,
Cum studuit furtis præmia ferre suis.
Fata quaterdenos quondam rapuêre puellos:
Vnius clades criminis illa fuit.
b.Saphatides aderat, surgunt *c* Bethelia clivo
Quà, juga, adorato perfida facta bove
Ibat,

XVIII. Puerorum coætaneorum prava consortia fugienda.

a. *D. Augustini ex Tagasta Africæ oppido: quod ipsum illud de se narrat in Confessionibus.*

b. *Elizæus Propheta à Saphat patre.* Vide Hist. lib. 4. Reg. cap. 2.

c. *Bethel Mons famosus adoratione vituli aurei quem ibi erexerat Ieroboam.*

Ibat, & arcano volvens sub pectore Numen,
Igneus aspectu, vertice clavus erat.
Ludebant pueri: vidit qui primus euntem,
Narratur visum ludificasse senem.
Calvitium inclamat, verbisque procacibus urget:
Calvitium petulans turba lacessit idem.
Audierat vates, & justâ percitus irâ
Fertur vatidicis infremuisse minis.
Vocem poëna subit: vicinis saltibus ursi,
Effrontes properant dilacerare reos.
,,Exemplum mala sæpe movet: sic languidus amnis
,, Fit celer appulsis cum ruit auctus aquis.
Sunt etiam parvæ vitiorum alimenta puellę, XIX.
Et quiddam mores quod male tingit habent.
Ludere turmatim, quamtumvis ludere tantùm,
Inficit; & veros res habet ista metus.
,,Quid Phœbi radio candentius enitet? alba
,,Sed tamen à radio desinit esse manus.
,,Sic ubi cōtigerit, quamquam exiguissima, fontē
,, Turbat, & obscuras ungula reddit aquas.
Consule a. Gonzagam, cui semper grande periclū
Fœmina; quinetiam parva puella fuit.
Oderat hic omnes: quid chara vocabula fingis!
,,Plurima cognato nomine damna latent.
,,Scilicet hospitio quod vipera crevit eodem:
,,Non ideò nullum vipera virus habet.

XIX. Puellæ etiam parvulæ vitandę.

a. *B. Aloysius Gonzaga Soc.* IESV, *cum adhuc puer paternis ædibus moraretur, ita puellas omnes ac feminas vitabat, ut difficulter etiam sororem aut matrem in cubiculum suum admitteret.* P. Cepario in vita.

Pro! quoties germana soror seclusa cubili est!
Nec profecturas addidit ore preces!
Pande forem, Lodoïce fero mandata parentis;
Sum soror; amoto cardine pande forem.
Nequidquam, puer intus erat, ceu miles in arce,
Quam tenet, & validis ostia clausa seris.
Fingere nunc somnum, nec respondere solebat;
Languida nunc presso membra jacere toro.
Si peccabat amans, causâ peccabat honestâ:
Servati merces illa pudoris erat.
Sta, puer, & primis, exemplo, cautior annis,
a. Sirenum voces blanditiasque fuge,
XX. Hæc ubi vitaris, facito mendacia vites,
Et pejurato quidquid ab ore venit.
Sint licet exigui linguæ perjuria teli;
Magnus in exiguo cuditur ore dolor.
b. Parvus erat, nec adhuc sexennem fecerat ætas,
Lingua reum ante annos fecerat esse suos.
Iactabat spreto convitia plurima cœlo:
Nec tutum linguæ verbere Numen erat.
Sæpe pater monuit (ferulâ monuisse decebat)
Nate, tene linguam, nec tamen ille tenet.
,,Quos rigor asservat, necat indulgentia, natos:
,,Exitiumque sibi pœna remissa trahit.
Vidit & hoc Numen, justas exarsit in iras,
Conſciaque immissâ torruit ora siti.

Con-

XX. Abstinendum à mendacio & juramẽtis.

a. *Sirenes monstra marina, Poëtarum fabulis celebrata: superiore sui parte virginis effigiem referentia; reliquo corpore adinstar piscium.*

b. *Puerum quiquennem è sinu patris à dæmonibus subreptum, ob jurandi & blasphemandi consuetudinem narrat.* D. Greg. lib. 4. Dial. cap. 18.

Concipe densatis occlusum nubibus ignem:
Hoc ipsum in pueri corpore febris erat.
Impatiens æstus fontes & flumina clamat:
Mox tamen epotas devovet æger aquas.
Parvule, tunc certè vellem sine voce fuisses:
Accelerat pœnas impia lingua tuas.
Sed frustra est, iterata vomit perjuria; tectum
Concutitur, spectris omnia plena videt.
Vertitur ad dextram, dextrę niger incubat hostis:
Vertitur ad lævam, læva nec hoste caret.
Dum sic luctatur, pater, ô, pater auferor, inquit:
(In patrio positus sederat ille sinu.)
Quid pater infelix, nec jā pater! opprime, clamat,
Opprime quæ fundis pessima verba puer.
Opprime clamabat; clausos aspexit ocellos,
Oraque perjuro corriguisse sono.
Manserunt maculæ pœnarum in corpore testes,
Nigrius illirico glutine corpus erat.
Ah, miser ut primis vixisti nequior annis,
Conveniunt vitæ nunc quoque fata tuæ.
Hunc specta, infelix genitor, nec funera defle:
Serius effusas ridet a. Avernus aquas.
Hactenus, evites quod forti remigis usu, XXI.
Præmonui; quod agas pauca docendus eris.
,,Parvos parva decent, vivant modò, magna movebunt:
,,Nunc tener in tenero est instituendus amans.

XXI. Puero Parthenio erectio altarium domesticorum procuranda.

a. *Avernus Campaniæ lacus, dictus quasi ἄορνος id est, avibus carēs; quòd aves supervolātes ardore ejus sulphureo enecarentur. Hinc Plutoni dicatū & Inferorū limen esse rudis vetustas credidit.*

„Quæ sunt apta viro non quadrant arma puello:
„Nec parvum longo cingitur ense latus.
Ergo domi modicâ componere VIRGINIS aram
Cura sit & ritus edidicisse sacros..
Scit bene qua pictas capiat puer arte volucres:
Scit bene vimineam qua struat arte casam.
Tu melior DIVAE formosa altaria pones:
Accipiat cultus ara pusilla tuos.
Florea dona feres, dabis & fumalibus ignem:
Pulsabis tremulâ garrula sistra manu.
Neu forsan studium curâ flaccescat in una
Non feret officium lucifer omnis idem.
Festivas ut erunt variabunt tempora vestes;
Candida Virgineos nuntiat ara dies.
Tristia cum nati lugebit funera Mater,
Sanguineo lugens murice cultor eris.
Pone moram, da thura puer, fer dona sacerdos;
Audiat & sacrum concio parva melos.
XXII. a.Hortulus est, varios præbent viridaria flores:
Hîc ut apis succos, mella futura lege.
Areolas illic inter, circumque vireta,
Occurret castæ turba fidelis Heræ.
Aspicies b. Catharin, floresque orantis ab ore
Colliget, & roseum Lucia texet opus.
Nec violas inter deerunt, interque ligustra,
Alba verecundis lilia mixta rosis.

Ecquid

XXII. Lectio quomodo illic habenda.

a. *Hortulus Marianus P.Franc.de la Croix, sive Methodus colendi B.Virginem areolis virtutum distinctus.*

b. *Rosarium recitanti cuidam adsunt B.Catharina & Lucia, quæ ab ejus ore rosas ad coronam texendam excipiunt.*

Ecquid ut *a*. Oigniacę memorabis gesta MARIAE,
Accendes populi corda minora tui?
Bruma gelarat aquas, quique aëre flabat aperto
Missus Hyperboreo carcere ventus erat.
Nuda pedes tamen urget iter: ne frigora lædant,
Qui calet in casto pectore præstat amor.
Quàm sæpe Angelicis comitata sodalibus isse
Fertur; & hybernas non timuisse nives.
Sunt & Bethlemæ multis solennia cunæ, XXIII.
Natalem quando Numinis orbis agit.
Stat casa, cui tereti consurgit arundine murus,
Arida quam simili culmine canna tegit.
Ad cunas infans cerâ formosulus albâ
Arridet; Matrem par quoque forma refert.
Proximus his senior baculo subnixus acerno:
Visceris & tardo junctus, aselle, bovi.
Rustica gens pictis auro, minioque sigillis
Circumfert gravido munera danda sinu.
Hic mella, hic tepido rorantia cymbia lacte:
Hic molli fultam vellere portat ovem.
Innixusque pedo Corydon sua carmina fundit,
Et tanquam factos dirigit arte sonos.
Spectatum veniunt vicini turba puelli,
Diffunditque animos omnibus ille locus.
Fortè etiam sextam cum jam *b*. Tithonia noctem
Exiget, & cœlo lucifer ortus erit.

Beth-

XXIII. Cura struendi presepe in Nativitate Christi.

a. *B. Maria Oigniacensi ab Oigniaco Brabantiæ pago in Belgio, inde Oriunda.*

b. *Tithonus Laomedontis filius Auroræ maritus apud Poëtas, unde Tithonia dicta est.*

Bethlemum Reges stella fulgente redibunt,
Longaque stramineis pompa feretur equis.
Oscula captabunt proni, nec inutile pignus
Objicient, mores erudientque tuos.
XXIV. Hoc annus faciet: quod quælibet adferat *a.* Eos,
Quod referat vesper, parva docere mora est.
Surgendi tibi tempus erit: quid inertia jactas
Verba, puer? tepido turpe jacere toro.
Audi'n? jam volitans cantat tua crimina passer;
Teque pigro, querulæ plus quoq; vocis habet.
Cum surges, sacrâ tinges tibi pectora lymphâ,
Nec deerunt magno reddita vota Deo.
Inde salutabis Divam tibi candidus augur:
Certaque libatæ præmia lucis erunt.
Quidni etiam dicas: surreximus; ortus olympo
Sol micat, occasus nesciat ille meos.
Qui modò sũ, talis perstẽ quoq; vespere cultor:
Astraque sint culpis conscia nulla meis.
XXV. Forsitan expectas ut te ad jentacula ducam:
Supplet & ancillæ nostra *b.* Thalia vices.
Candida Virgineas jentacula dantur ad aras,
Dum sacro Mystes fervidus ore litat.
Huc properate citi: quantùm properasse juvabit,
Exemplum vobis non leve *c.* Faustus erit.
Tem-

XXIV. Quomodo manè surgendum.
XXV. Missa quotidie audienda.

a. *Eos Græcis aurora est.*

b. *Thalia una ex novẽ Musis, ἀπὸ τοῦ θάλλειν quod inter cætera significat virere, seu florere propterea quod Poëtarum fama nullo tempore marcescat.*

c. *Iuvenes duo Indi manè egressi ad captãdas aviculas, eorũ alter flumine percutitur, illæso altero qui Missam audierat, quem ob id Faustum appellamus.* D. Antoninus.

Tempus erat, lectis quando de vite racemis,
Intingunt primos vina liquata cados.
Exortus puro fulgebat Cynthius axe,
Et nitor ut Maio mense diurnus erat.
Par juvenum volucres, nec non dilutior aura
Allicit; ignaræ vincla parantur avi.
Excurrunt studijs pariles ac passibus ambo,
Quà creber dumis, alitibulque locus.
Opportuna dolo patet area; retia tendunt
Solliciti, aucupibus sed nocitura suis.
Oblinit hic lento virgulta tenacia visco,
Et stratam laqueis, gramine celat humum.
Alter tensa regens per opacos retia dumos,
Incautas ficta voce lacessit aves.
Ecce volant tremulis depictæ chlorides alis;
Ecce volant merulæ; tu quoque passer ades.
Quò ruitis! properare veto; latet improbus auceps,
Ad dumos: cęcis omnia plena dolis.
Ite aliò volucres; sic vobis herbutus umbram,
Et non fallaces præbeat herba cibos.
Dum loquor, horrendus tenebrosis nubibus a. Auster
Insonat, & fœtas grandine volvit aquas.
Fit fragor, excussâ rumpuntur nubila flammâ:
Vltrix neglecti Numinis illa fuit.
Sternitur omissis auceps temerarius aris:
Cultorem servant mystica sacra suum.
Fac modò te simili neglecto manè sacello,
Turbine deprendi, quid tibi mentis erit?
Optabis faciles Divos, Divûmque Parentem:
Sed matutini temporis illud erat.

In-

a. *Auster ventus meridionalis calidus & humidus ab hauriendis aquis ita dictus; Græci νότον appellant.*

XXVI. Interea jam vesper adest, & sidera lucent:
Ignavus tentat corpora fessa sopor.
Tu contra molire preces DIVAMQVE saluta:
Vespertina etiam tempora Mater amat.
Ablue diffuso commissa piacula fletu:
Non est in lecto culpa fovenda tuo.
Oscula dein figes DIVAE, dicesque: clienti
Auxiliatricem porrige, VIRGO, manum,
Da bene compositos irrepat somnus in artus,
Quem croceo vultu finiat orta dies
Inde cubaturus castè velamina pones:
Est & in hoc quidam, quemque sequare, decor.
Quid memorem nudo suspensa numismata collo!
Vt scutum medio pectore semper habe.
Noctibus horror inest, circumque cubilia sæpe
Præstigijs sagæ carminibusque nocent.
Siqua fides petitur: facti *a.* Germania testis,
Quique, Mosella, tuas accola potat aquas.
Parvulus hîc sacræ vacuus munimine ceræ
Captabat somnum, miles inermis erat.
Sæpe illum tortis nocturna venefica rhombis,
Sopitum tacito fertur adisse pede.
Horruit attactu, at serò se vidit inermem:
Cedentem stygiæ surripuêre manus.
Iamque toro raptus, tenebris effusus opacis
Tranabat liquidum stipite vectus iter.
Quà volat, horrescit tactu vicinior aër,
Concussisque tremit subdita Sylva comis.

Est

XXVI. Precatio vespertina & cubatio.

a. Treviri Germaniæ inferioris populi, quos Mosella fluvius alluit: apud quos, factum quod hîc describitur accidisse narrat P. Delrio Disquisit. Mag. lib. 6. cap. 2.

Eſt vallis, circùm tellus uligine ſudat:
Annoſæ ſalices ſordida prata tegunt.
Infauſtæ ramis volucres ſquallentibus hærent;
Subtus ſanguineos accipit umbra lupos.
Non illuc paſtor placidas ductare bidentes,
Aut ſolitus calamos ſollicitare rudes.
Horror ineſt, ſtygiæ celebrantur nocte choreæ,
Et reſonant udo ſabbata nigra ſolo.
Aſpicias, piceis ſublucent compita tędis;
Vmbraque per lumen plus quoq; noctis habet.
Illic ſacrilegæ ſtygius caper incubat aræ,
Addit & humanas, fercula fœda dapes.
Ah! quoties puer hic ſceleratis aduena ſacris,
Inſolito vulgus terruit omne metu!
Neu tamen impediat furvæ commercia noctis:
(Sontibus huc etenim non niſi adire licet.)
Concitat inſanas ſ̨rato murmure ſagas:
Id pueri munus, forma nocentis erat.
Quid, miſer, attentas? dum cerea negligis arma
Prima cubaturo nox tibi quanta fuit?
Infelix! quęcumque parens hæc tradere nato
Negligit, & vanam ſtulta requirit opem.
Scilicet hunc lædant quatumvis carmine ſagæ,
In partem facti criminis illa venit.
Dum moror, accenſo collucens ſidere cœlum XXVII.
Vertitur; & medium Cynthia fecit iter.
Augentur toto duplicata ſilentia mundo;
Pervigiles a. Larium conticuêre canes.
Fallimur! an videor voces audire gemëtûm?
Et deploratis atria mæſta ſonis!

Nocte

XXVII. Quomodo nox tranſigenda.

a. *Lares Laræ filij Mercurio patre, domorũ præſides habiti à Poëtis, ſæpeq; pro ipſiſmet domibus.*

Nocte gemût a. Manes: dic Manibus otia Virgo
Ponat, & ultores sopiat illa rogos.
b. Rhemius hos olim Germanas fertur ad oras
Sæpius extincto surripuisse foco.
Pro foribus stabant singultu incendia fassi
Forsitan & tardos ad loca sancta pedes.
Supplebat Mystes sacratæ cernuus aræ:
Corpore jejunus, sæpe cruentus erat.
Dura aliquis mea jussa vocet; sed & ista movemus
Arma viris; ad opem mollius ire licet.
Busta super, patriove feres tua vota sepulcro:
Et tedæ accensus Manibus ignis erit.
Lucidus accedes sacras orator ad aras:
Virgineas texes florea serta prece.
Quis vetet accepti partem diffringere libi:
Quo malè jejunus desinat esse puer?
Si fortè excubitor nocturnas insonet horas:
Optabis caris Manibus esse breves.
XXVIII Somnia quid referam? discant dormire puelli:
Vtilis & suus est hac quoque parte decor.
Somnia nocturnis errant diffusa tenebris,
Innumeras carpunt irrequieta vias.
Nec species una est: sunt queis fuligine vultus
Tingitur, horrificas dixeris esse sues.
Vngue rigent digiti; similes bubonibus alæ:
Extremam partem corporis, anguis habet.
Inde per amfractus, sparsoque volantia fumo
Obscœnas subeunt, exagitantque domos.
Sunt

XXVIII. Somnium pueri Parthenici.

a. *Manes antiquis variè accepti: communius pro defunctorum animabus.*

b. *P. Iacobus Rhem Germanus Soc.* Iesu, *accedētes noctu defunctorum animas variè juvabat.*

Sunt quibus allucet formosæ gratia frontis,
Et palla intactas vincere jussa nives.
Antevolant auræ tenues, & candidus aër:
Prætendunt pura lilia casta manu.
Viderat hęc aliquis *a*. Mariani ad limina castri
Quà sacer Hannonijs regnat Apollo jugis.
Has, inquit, transite fores: hìc lecta Iuventus,
Degit, Belgiaci gloria prima soli.
Mollior hìc ætas, fingiq́ue aptissima DIVAE,
Vix usquam melius castra locarit Amor.
Desierat, subeunt: claræ micuêre fenestræ,
Vt solet occluso flamma recepta vitro.
Aut qualis sicca scintillat arundine fulgor
Igneus, & claras itque reditque vias.
Inde super lectos candentia lilia spargunt:
Lilia dilutum jacta papaver erant.
Somniat interea Marianos inter ephebos,
Parvus; & (ut memini) candidus ore puer.
Palla brevis summas stringebat lutea suras,
Nec minus ad cursum calceus aptus erat.
Protinus intento venator belliger arcu,
Diversas telis figere visus aves.
Missa tamen solos lędebant spicula coruos:
Vulneris indicium pluma cruenta fuit.
Decipimur, coruisque pares retinemus in horas
Sæpe; quod exiguæ debuit esse morę.
Post visus madidas cursu petijsse paludes:
Hic ubi mersa luto porca jacebat iners.
Tela jacit, jactum sensêrunt ilia telum:
Stagnavit crasso sanguine turpis humus.

Sylva

a. *Seminarium Beatæ Virginis Societatis IESV Montibus Hannoniæ in Belgio.*

Sylva erat, haud Phœbo puerisq; ignota Minervę,
Quam circùm amplexu *a.* Glenius ambit ager.
Ingressus, corylcta inter quà densa virebant,
Dat sonitum, pavidas exagitatque feras.
Inde ferebatur mora velocior aurâ,
Cùm puerum occursu Nympha morata suo est.
Quò celer, inquit, abis! quò te sopor improbus urget.
Siste gradum, pharetrâ tela reconde puer.
Quē si queris, lepus est, sine vivat; criminis umbrā
Quò fugias, mores instruit ille tuos.
Dixerat hæc; cessêre feræ, cessêre sagittæ:
Attamen in pueri pectore plaga fuit.
Neu dubites, fracto traxit suspiria somno,
Ad matutinas prosiluitque preces.

XXIX. Finiturus eram; puero sed danda bilustri
Sollicitant Elegos ultima jussa meos.
Sæpe calent animi: castis præcordia flammis
Sępe maritales post habuêre toros.
Quæritur an primis, & adhuc pubentibus annis,
Expedit ad castas vincla venire manus?
Si me censorem, nec dedignare magistrum;
Expectes dicam, sustineasque gradum.
Vota animos turbant, cum non exacta voluntas
Est satis, & preceps flamma suasit opus.
Nec tamē hoc culpo: scimus, *b* Gōzaga, quis intus
Cum votum faceres, Numinis ardor erat.
Arida

XXIX. An consultū sit ante annū ætatis 14. castitatem Deiparæ vovere?

a. *Glenia Sylva ad Montes Hannoniæ, ad quam studiosi vacationum diebus excurrere solent.*
b. *B. Aloysius Gōz. Marchionis Castilionēsis primogenitus ætat. āno* 8. *castitatē* Deiparae *vovet.*

Arida vix novies veri fucceſſerat æſtas,
Vix tiliæ poſitis bruma novena comis.
Quid facimus? dixit: quod ſentio vulnus amicum eſt:
Candida pro telis lilia vibrat Amor.
Affer opem, VIRGO, lacrymæ pro ſanguine manant;
Affer opem, & tepidas comprime flétis aquas.
Reſtinguant gelidi quamvis incendia fontes:
Augetur fuſis quo cremor, ignis aquis.
Dixit, & aſpectâ ter VIRGINE, vincula verbis
Induit Idalia non ſolü nda manu.
Credibile eſt Genium, qui puras ſtabat ad aras
Incendiſſe ſacram VIRGINIS igne facem,
Forſan & adjecit: ſponſi gere *a*. lilia poſthac
Orbi noſcendus per mea ſigna, puer.
Fecit, & ut tabulâ primis circumtulit actis:
Excipias corpus liliger Ales erat.
Sæpe illo veniente, animum ſensêre pudicum,
Et tenuit ſpurcos turba proterva ſales.
Sæpe puellares ad Ibera palatia pompas,
Acceſſu fertur compoſuiſſe ſuo
Vltima quid ſubdam: toto notiſſimus orbe
b. Angelici nomen, lilia Matris habet.
Finis adeſt operi, gratare, puertia DIVAE XXX.
Et refer ad dominas laurea ſerta comas.
Illa dedit vires, primos inſtruximus annos:
Crevit & excultus per duo luſtra puer.

Sic

XXX. Epilogus Libri.

a. *B. Aloyſius cum lilio depingi ſolet.*
b. *Idem Angelici nomine condecoratur ab Pontifice.*

Sic pergat nostræ VIRGO indulgere *a*. Camænæ
Sic mihi cœlestis carmina dictet Amor.
Quique *b*. CARAFAIDES Marianis mistus ephebis
Crescit adhuc, titulos impleat ille suos.
Quà lubet, incedat: non hunc divortia fallent:
Vera CARAFAEUM gloria fecit iter.
Nec desunt hederæ, nec tinctæ sanguine laurus,
Quà magnis longo calle præitur avis.
Interea major sibi dem præcepta Iuventus
Postulat: hoc chartæ proxima cura meæ.

LIBRI

a. *Camæna Iovis & memoria filia, à cantus amœnitate sic appellata.*

b. CARAFAEORVM *familia Nobilissima & primaria apud Campanos, in regno Neapolitano praclaros Heroas recenset Suriani Comites, Nuceria Duces, Antij Marchiones, Bisiniani Principem Tiberium* CARAFAM *Cardinalis Germanum fratrem, aurei velleris Equitem, atque Hispania Magnatem: Ad hac Episcopos plurimos, Archiepiscopos, Patriarchas & Apostolicos Legatos: Octo Archiepiscopos Neapolitanos, Cardinales decem, summumque Ecclesia caput, ac Pontificem* PAVLVM IV. *quorum exemplis quicumque adhuc parvulus ex eadem familia adolescit, ad antiqua Majorum suorum decora, &* DEIPARAE *Cultum incitatur.*



LIBRI SECVNDI
ARGVMENTVM.

SEcundus hic Liber maximè in eo vertitur, ut Adolescens in illo ætatis dubio flexu maturè instruatur, ne in vitium desciscat: quin contra potiùs amorem DEIPARÆ, & gratiam sibi conciliet. Quod quia in corporis animique castimonia præcipuè consistit: quippe hæc virtus præcipuum Adolescentiæ insigne est, ac decus: ea propter varia hîc traduntur, quæ ad illam conservandam, quam maximè conducunt. Inter quæ vitanda in primis nonnulla: ut sunt sociorum, qui parum honestè se habent, consortia, otium, theatra, balnea, Libri item impuri Poëtarum, & cętera ejuscemodi. Sectanda verò & amplectenda pœnitentiæ & Eucharistiæ usus, Sodalitiorum Marianorum frequentatio, jejunia, aliæve corporis afflictationes, quæ castitatem, uti

uti lilium inter ſpinas intactum illibatumque tueri aſſolent. Ad Libri calcem oſtenditur quantum Adoleſcentibus interſit, Mariano ſideri incumbere, ejuſque benignos aſpectus depoſcere ad ſtatus electionem. Quæ omnia ex ſequenti Periocha diſtinctius agnoſces.



PERIOCHA
Ejusdem Libri.

I. *ADolescentia diligenti monitore ac Moderatore indiget.*
II. *Adolescentiæ flexus dubius ac priculosus.*
III. *Similitudo morum amorem* DEIPARÆ *conciliat.*
IV. *Quod* B. VIRGO *castitatis candorem in Adolescentibus maximè amet.*
V. *Adolescenti castimoniæ Cupido otium inprimis fugiendum.*
VI. *Matutinus somnus longior cavendús.*
VII. *Theatra & fœminarum aspectus castitatem enervant.*
VIII. B. VIRGINIS *imago castitatem spirat & libidinem extinguit.*
IX. *Balnea & compotationes æstivæ Iuvenibus vitandæ.*
X. *Socij & obambulationes quæ fugiendæ, quæ captandæ.*
XI. *Poëtarum Libri qui promiscuè amorem & turpitudinem docent, juvenibus cavendi.*
XII. *Asperitas vitæ arma adversus libidinem.*
XIII. *Vepres.*

XIV. Ni-

XIV. *Nives.*
XV. *Lacus.*
XVI. *Ignis.*
XVII. *Flagra, cilicia, jejunium.*
XVIII. *Meditatio mortis & æternitatis.*
XIX. *Fuga occasionum castimoniæ servandæ perquàm necessaria.*
XX. *Sodalitia Mariana juvenibus frequentanda.*
XXI. *Sodalitia* B. VIRGINIS *novæ vitæ officina.*
XXII. *Fons Marianus.*
XXIII. *Mensa Eucharistica.*
XXIV. *Pulpitum Marianum.*
XXV. *Pictura Sodalitatis.*
XXVI. *Varia Sodalium exercitia.*
XXVII. MARIA *Maris stella.*
XXVIII. *Vera Ariadne.*
XXIX. *Promontorium bonæ spei.*
XXX. *Epilogus Libri.*



IOAN-

IOANNIS VINCARTII GALLOBELGÆ INSVLANI E' SOCIETATE IESV

DE CVLTV DEIPARÆ LIBER SECVNDVS.

HActenus ingenuos docuit mea Musa puellos: I.
Nunc vatem paullò grandius urget opus.
Scilicet à decimo, quartoque revertimur anno;
Pulsanda est validis area major equis.
,,Mollia cum lenes impellunt carbasa venti,
,,Cessat, & ad placidas navita cantat aquas.
,,Cum *a.* Notus incubuit, tumidumque evertitur equor;
,,Impiger ad puppim *b.* Tiphys habendus erit.
,,Quàm dubiũ vento pelagus, tam cæca Iuventus
,,Fluctuat; & præceps pectora versat Amor.
Nunc ciet insanos violento turbine fluctus:
Nunc placidâ mentem mollior arte subit.

C Diffi-

I. Adolescentia diligenti monitore ac moderatore indiget.

a. *Notus ventus meridionalis ac nebulosus, idem quod Auster.*

b. *Tiphys Navarchus peritissimus, quo ductore Argonautæ cum Iasone in Colchidem, ad vellus aureum navigarunt.* De hoc Ovid. lib. 1. de arte. Tiphys in Æmonia puppe magister erat.

Difficile est tenuisse modum; sed ne quis aberret,
Sollicitâ dabimus lora tenenda manu:
Huc placidam, cupidi Iuvenes advertite mentem,
Nec dura ad numeros pectora ferte meos.

II. ,,Hoc primùm moneo; velis subducite remos:
,,Exitium multis præcipitasse fuit.
a. Icare, si summum vitasses aëra, necdum
Esses Icariæ naufragus auctor aquæ.
,,Quid nisi præcipites perdunt animantia cursus?
,,Sæpe moræ spatio retia vitat avis.
An quia florigeros ostentat semita campos,
Hic nobis fuerit sponte petendus ager?
Siste gradum juvenis, fallunt divortia; Sæpe
Quà violę crescunt ultima sente rigent.
Venerat ad bifidam proles b. Tyrinthia vallem,
Lassaque in herbosâ membra locarat humo.
Vtque sit, afflantes c. Zephyros captabat aperto
Pectore: fervebat d. Sirius ore canis.

A læva

II. Adolescétię flexus dubius ac periculosus.

a. *Icarus Dedali filius, cum, ut tradunt fabulæ, fretus alarum fiducia, quas illi pater è cera confecerat suum aëra tentasset, in Mare decidit, quod ab eo Icarium dictum est.* De quo Ovid. 3. Trist.

Icarus Icarias nomine fecit aquas.

b. *Tirynthius Hercules ita dictus à Tirynthe ejusdem patria in Peloponeso, ubi enutritus.*

c. *Zephyrus quem Latini Favonium vocant, ventus est placidissimus quasi* ζωηφοϱος *id est vitam ferens.*

d. *Sirius canis sive canicula, sidus est cœleste, quod cum soli conjungitur æstum duplicat; hinc dies caniculares dicti.*

A lęvâ violis quà prata tenerrima candent,
Mulcebat saturas carmine Mopsus oves.
Adfuit hinc comptis Cythereïa lena capillis;
Formoso albescens in pede soccus erat.
Palla latus bicolor villo splendente tegebat;
Prodebat medios fascia laxa sinus.
Cum juvenẽ vultu invadens *a.* Cytherea procaci,
Inductos visco voce movente sales.
Ecquis erit, dixit, tandem tibi trames ituro?
Quid tardo cessas prata subire pede?
Hęc mea sunt; monstratque manu viridantia latẽ
Pascua, quà laurus mistaque myrtus olent.
,,Indulge ętati; celeri pede labitur ætas:
,,Nec bona tam sequitur quàm bona prima fuit.
Plura loquebatur: cum Virtus ignea vultu
Constitit incultâ conspicienda comâ.
Nuda humeros; rigidæ velabant pectora telę:
Armabat fortem militis hasta manum.
Macte animo, soboles Tirynthia, redde *b.* parentẽ;
Quid dubitas lenam vincere major? ait.
Hactenus ætati permisimus otia primæ:
Cessatum satis est, incipe majus opus.
Reijce collectos per prata virentia flores;
Quassanda est istâ ferrea clava manu.
Hæc inter, validâ vibrati cuspide teli
Obruit excussas, terque quaterque rosas.
Quid tibi longa, inquit, per campos credis ituro
Gaudia? conciderint quàm citò tacta vides.

C 2 Me

a. *Cytherea Venus, Cytheris ita dicta: Insula est juxta Cretam, ad quam primum concha marinâ advectam Poëta fabulantur.*

b. *Iovem, qui ex Alcmenâ Amphytrionis Thebani uxore Herculem genuisse narratur.*

Me sequere; ostenditque viam quà forte colonus
Agrestem validis bobus arabat humum.
,,Hinc petitur laurus; magnis Heroïbus orti
Hac pergunt: durum gloria calcat iter.
Audijt *a.* Alcides, dextramque ad fortia movit
Fœdera, mansurâ non violanda fide.
Quid, quod & elatâ pertentans robora clavâ,
Venturi posthac Herculis omen erat?
Odi Blanditias, & persuadentia verba,
Et Nimium placidâ sollicitata chely.
Quod fuit Alcides si vis accedere Divam,
Idem virtutis limes habendus erit.
III. ,,Semina prima mali, morum discrimina vitæ,
,,Pectore, non vultu verus habetur Amor.
,,Nigra licet, non inde lupum non oderit agna:
,,Ingenio semper dissidet ille suo.
,,Sic tibi per mores animum nisi junxeris unà:
,,Nomen amicitia est, nomen inane fides.
Neu tibi falsa canam: *b.* vixit Marianus amator,
Ore sacer Divae, cætera turpis erat.
Hunc primo incautæ seductum flore juventę,
Perdiderat blando turpis amica dolo.
Hæret amans, nec fœda luto sibi pectora sentit;
,,Putrescunt lentâ crimina lenta morâ.
Forsitan egressus, seu certa negotia poscunt:
Seu sacris longè templa petenda vijs.

Vene-

III. Similitudo morum amorē Deiparæ conciliat.

a. *Alcides Herculis cognomen ab ἀλκὴ, quod robur significat.*

b. *Albertus Castell. Ord Prædicatorum, lib. de miraculis sacri Rosarij.*

Venerat in Sylvam: Sylvæque ambagibus actus
Errabat dubio per loca sola pede.
Quid faceret? nullus per frondea compita limes,
Nec quà diffugiat, quemque sequatur habet.
Nunc hac venturos, venturos nunc timet illac,
Qui lanient avido viscera dente lupos.
Pro! quoties motas ventorum turbine frondes,
Occursum rabidę credidit esse feræ!
Falleris infelix, non est fera; pone timorem:
Sola tibi, lupus hîc, quem vereare, fames.
Iam stomachum subit infestus, pręcordia vexat:
Occulto latrant ilia rauca sono.
Errat inops animi; quid enim nisi tesqua timeret?
Quærit & in duris perdita mora rubis.
Ah! quoties altam spectavit lumine quercum,
Sed quòd spectaret, nil nisi quercus erat!
Immiti fecisse ferunt convitia trunco
Sępius & casus ingemuisse suos.
Ergo *a*. Palestinę juvenis lascivior orę,
Inveniat glandes ultima fercla suas.
Ipse ego destituar, nec me glans ulla juvabit?
Durior, ah fato pœna reperta meo!
Dum gemit, & vires jejunia longa fatigant;
In nudâ jacuit debile corpus humo.
Inde ter elatos tendens ad sidera vultus,
Solvisse in tales creditur ora sonos.
Da veniam, Genitrix: tibi DIVA relinquimur, inquit:
Porrige maternas ad mea vota manus.
Et quoniã has inter tesqua horrida, & avia Sylvas,
Vivere non possum, da bene posse mori.

a. *Parabola filij prodigi, qui consumpto per libidinem patrimonio, ad porcorum siliquas & glandes fame redactus est.* Luc. 15.

Redde vicem, dedimus quondam tibi munera,
Virgo:
Quid nisi nunc posco debita? redde vicem.
Dixerat hæc, & vesper erat; cum visa repente
Lucida per tremulas Sylva micare faces.
Obstupuit primùm: causam rimatur, & hęret;
Speque metum dubiâ, spemque timore premit.
Interea illucent vicinis arbuta flammis;
Et propior strepitus sicut euntis adest.
Nec putat hoc falsò: Sylvis se Diva ferebat,
Augustum geminâ Virgine cincta latus.
Altera mantili distinguitur, altera disco:
Sed turpi offusus sanguine discus erat.
Quod simul aspiciens, cœnosæ munera lancis
Sprevit, & oblatos repulit ore cibos.
Quid facis, ah! demens! tua te sententia damnat;
Nescius heu! facto plecteris ipse tuo.
Subdidit & Virgo: sic sunt tua vota, precesque
Quas dudum fœdo pectore promis, ait.
Elue quas intus maculas præcordia servant;
Conveniunt castris candida signa meis.
IV. Castos Mater amat, castæ servire parenti
Quisquis aves, nivei pectus amantis habe.
,,Non bene vulturibus jungũt sua tecta columbę:
,,Non bene cum coruo fœdera sancit olor.
Est cœlo a. trames stellis radiantibus albens:
Semita dilutum lactea nomen habet.
Hac

IV. Quod B. Virgo castitatis candorem in Adolescentibus maximè amet.

a. *Via lactea in cœlo, quam Græci γαλαξίαν vocant de hac Ovid. Metamorph.*
Est via sublimis cœlo manifesta sereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso.

Hac iter est Divis (prisci cecinêre Poëtæ)
Quà Dominam accedas, nulla nisi ista via est.
Aspice *a*. Zebedidem, casti nive pectoris albet:
Virgineum stipat proximus ille latus.
Sic aderat, CHRISTVS cum de cruce dixit,
abimus:
Quam pro me redames, hæc tibi Mater erit.
Fecit, & in longos quod vivax perstitit annos,
Virginei merces corporis illa fuit.
Impie, succenso quid sævis miles aheno!
Extingunt ipsos corpora casta rogos.
Adde, quod & puras quà VIRGO mandat adiri,
(Tantus amor casti est) advocat ipsa nives.
Assurgit Latiæ spatium sublimius urbi,
b. Exquiliæ pridem nomina collis habet.
Illic *c*. Patricios inter nuptamque, virumque
Vincere muneribus mutua pugna fuit.
Prole carent, quamvis ter mille bidentibus arva;
Ter mille admissis bobus aretur humus.
Sæpe ferunt dixisse sibi: cui condimus aurum?
Ecquid Christiparæ serviat illud Heræ.
Audierat VIRGO, summâque Tonantis ab arce
Expedit alatos ad sua jussa choros.
Nox erat, & tacito palantia somnia mundo,
Spargebant plenâ lilia casta manu.
Quæ simul ac thalamos Romæ tetigêre maritos:
Exquiliæ vertex à nive canus erat.

C 4 Vene-

a. *S. Ioannes Evangelista à Zebedeo patre.*
b. *Exquiliæ mons intra urbem, ubi quondam Tullus Hostilius rex excubias habuisse dicitur: vide ductum nomen Exquiliæ*
c. *Ioannes, eiusq; uxor patritij Ordinis apud Romanos: de quo vide Ribad. in festo B. Mariæ ad Nives,* 5. Aug.

Venerat huc VIRGO cultus induta nitentes,
Et placitum in niveo littore pinxit opus.
Hic murus ducetur, ait, (murumque notabat,)
Hîc longâ excurret porticus alta viâ.
Illic succensis adolebunt cinnama flammis;
Hîc referet vultus picta tabella meos.
Pluraq; monstrabat, liquit cum somnus amãtes:
Qui tamen accivit somnia, mansit Amor.
Quid, quod *a.* Pontificem simulachra niventia tangunt?
Et visum tacitæ noctis adorat opus?
Mane erat, apparent albi fastigia montis.
Nec pereunt tactæ sole repente nives.
Concipe solemnes ritus, Romana juventus,
Candidior nunquam luxit in urbe dies.
Nulla mora est, faciunt cuncti: gaudetq; MARIA
Iri per canas ad sua festa vias.

V. Attamen ut tincti durent albedine mores,
Sunt tibi præceptis multa cavenda meis.
Otia vitabis: prima est ea cladis origo:
Perdidit hic nostros mollior hostis avos.
,,Otia magnanimos vitijs stravere gigantes:
,,In queis *b.* Manoïdes, *c.* Davididesque fuit.
Staret adhuc *d.* Sodome, si me foret usa magistro,
Nec premeret cineres turpiter usta suos.

Quid

V. Adolescenti castimoniæ cupido otium inprimis fugiendum.

a. *Liberium, cui in somnis idem ostentum acciderat.*

b. *Manoïdes Samson à Manoa patre.*

c. *Davidides Salomon à Davide.*

d. *Sodoma otio & luxu corrupta, cœlesti igne conflagrat.* Gen. 19.

Quid referam primo commissum crimē in horto?
  Occidit Adamus, desidiosus erat.
Facta est Eva nocens, quia languida: nēpe jacentis
  Venêre ad vacuas perfida poma manus.
Exhinc fluxerunt toto contagia mundo:
  a. Ipse etiam virus criminis auctor habet.
Finge tibi umbrosam morosæ Cypridis arcem,
  Ignavus qualem fertur habere sopor.
Hîc domus est, summis pendent laquearibus umbrę:
  Tale ferè Sylvæ lumen habere solent.
Ante fores custos molli resupinus in herbâ,
  Diducto torpens oscitat ore puer.
Intus tacta chelys vix ipsa silentia rumpit:
  Accubat ignavis languida turba toris.
Néve oculis desit, pectus quæ lædat imago,
  Plurima depictus crimina murus habet.
Parte aliâ molles quà porticus exit in hortos,
  Plena soporifero gramine prata virent.
Sæpe per hæc spatiatur Amor, venatur & arcu:
  Sæpe cadit telis Saucia præda suis.
Illinc traijcitur ramosâ passer in ulmo:
  Hinc cadit ad juncos semisopitus anas.
Sic segnes Amor aggreditur, passercule; summis
  Decuteris ramis, aëre tutus eras.
Hæc loca senta nocent: alia est quærenda juventæ
  Area, quà varium milite fervet opus.
Fac doctę subeas innoxia castra b. Minervæ:
  Invenies istis otia nulla locis.

C 5 Hîc

a. *Serpens ante lapsum Adami veneno caruit, teste D. Ambros.* in Hexam.

b. *Minerva qua Græcis Pallas sapientiæ Dea præsesq; habita est : quam Poëtæ è cerebro Iovis natam fuisse fabulantur.*

Hîc pugnaturo varius movet arma character?
Observant leges bella movenda suas.
Gallica nunc verbis vincuntur verba Latinis:
Nunc vincit latias littera Graia notas.
Interdum tragico procedit Musa cothurno:
Interdum leni mollior arte subit.
Classica si cessant (nec enim sua semper a. Apollo
Tendit inauratæ fila canora lyræ.)
Arva petes, faciunt quà densæ umbracula Sylvæ,
Et mollis læto gramine vernat humus.
Hic te vel misso retinebit meta cylindro:
Vel per jactatas clava recurva pilas.
Odi quæ placidas dissolvunt otia mentes,
Molliaque in longas gramina pressa moras.
Res age, quas Sylvæ, quas rura nitentia poscunt:
Panditur hîc studijs area lata tuis.
Nunc leporem laqueo, nunc visco falle volucrē,
Nunc tibi piscosis rete trahatur aquis.
Si tibi Nobilium sub pectore sanguis avorum;
Martius in gyros currere discat equus.
Hoc facies, deerunt sudo cum nubila cœlo,
Nec madidus pluvias devehet Auster aquas.
Cum venti flabunt, & fœdis imbribus æther,
Limosas lapso fecerit imbre vias.
Tunc pila reticulis patriâ versabitur aulâ,
Aut sistet jactos meta petenda globos.
VI. Quidquid erit metuenda tibi socordia lecti,
Et matutinus sole micante sopor.
Innumeris nocuit; sincerò credite vati:
Non faciet longam fabula nostra moram.
No-

VI. Matutinus somnus longior cavendus.

a. *Apollo Musarum præses, & Musices expertissimus.*

Nocturnas puer Idalius cum matre choreas
  Egerat, ambustas rettuleratque faces.
Manabat toto liquidus de corpore sudor:
  Deciderant fluxæ myrtea secta comæ.
Quæque illi ex humero telis exhausta pharetra,
  Assueto. Majus pondere pondus erat.
Cum prior ad matrem: saltu languescimus, inquit:
  Poplite membra mihi deficiente labant.
Mollis erat violis, adopertaque gramine tellus:
  Hanc lasso parvus corpore pressit Amor.
Quod simul ac vidit Genitrix, puer aurce, dixit;
  Heu, quid agis! circùm huc noxia stridet apis.
Mellifero parvus quamtumvis corpore miles,
  Tela gerit: sequitur vulnera facta dolor.
Surge, age, quærenda est aliò tibi culcitra lecto;
  Non facit ad somnos herba, nemusve tuos.
Aspice vicini fumosa cacumina castri;
  Conveniunt studijs talia signa meis.
Illic dormit adhuc juvenis, plumâque fovetur;
  Accipiet parvos lectulus ille duos.
Dixit, & infantem maternis sustulit ulnis,
  In juvenis tepido deposuitque toro.
Ille relicturus stratum, movisse putatur,
  Brachia: sed parvus mota repressit Amor.
Hinc matutinos afflantia stragula somnos,
  Nunc etiam castis insidiosa nocent.
Manè licet surgas, non sunt adeunda theatra; VII.
  Nec loca formosas exhibitura nurus.
„Fœmina visa nocet; vultuque ignita puellæ
  „Quò lædant toto corpore tela gerunt.

Con-

VII. Theatra & fœminarum aspectus castitatem enervant.

Consule *a*. Iesseïdem cur sævo carpitur igni ?
Causa mali (dicet) fœmina visa fuit.
Scilicet à mensâ dum fortè perambulat ædes,
Planaque supremę regia tecta domus:
Lotura ad tepidas *b*. Hæthæis sederat undas;
Adfuit ex illo missa sagitta loco.
David, claude fores; utinam clausisset, & illa!
Sensissent nullas regia corda faces.
Quid modò si plenis veniat spectanda theatris ?
Naufraga *c*. Scyllæas tunc subit alnus aquas.
Innumeros petulans comœdia læsit amantes;
Ille locus casti damna pudoris habet.
Vidi ego cui fuerat spectata procacia formæ,
Et vidi gemitus non tenuisse suos.
Quid mirum ? puer hac Veneris pugnabat arena,
Et parvus quamvis, maximus actor erat.
Plus quoque quàm credis formosi lumina vultus
Officiunt: redeunt quæ placuëre semel.
Sic intermisso turgescunt ęquora flatu,
Et tumet à valido, qui fuit, unda Noto.
Testis erit Syrijs peregrinus *d*. Dalmata Sylvis,
Cui sacra divinus nomina fecit Amor.
Longè aberat mulier, juvenis quam viderat olim;
Vrebat gelidum sed tamen illa senem.
Quid facimus? sępe exclamat? num vicimus hostē?
An contra occultâ callidus arte subit?

Cor-

a. *David Iesseïdes dictus à Iesse patre.*
b. *Hathais Bersabee ab Vria Hathæo marito.*
c. *Scylla locus periculosus in mari, Charybdi vicinus, unde natum proverbium in eos qui vitato uno periculo in aliud incidunt.*
Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.
d. *S. Hieronymus natione Dalmata, cuius nomen, sacrum quiddam sonat.*

Corpora tabescunt, arent sine sanguine venæ:
  Oraque jam solitos dedidicêre cibos.
Stant calices, habet ille fabas, olus alter; & hausta
  Sanguineo bibitur cortice fontis aqua.
Attamen impuræ tentant præcordia flammæ,
  Siccaque desuetus gliscit ad ossa vapor.
Sentio, fumat adhuc Romani pompa theatri:
  Ah! nimis in flammas cognita pompa meas!
Sic erat, incussi donec sibi vulnere Saxi
  Impurus casto cessit ab osse calor.
Altera MARIAE frons est, sine sulphure lucet: VIII.
  Tuta sub aspectus illa venire potest.
Blanda oculis, claroque licet depicta *a* Rubeno,
  Obruit impuras visa MARIA faces.
b.Sforciadę memini: partis minor ille triumphis,
  Fœmineo victus sub pede, victor erat.
Nempe puella Ducem quamtumvis capta tenebat,
  Infelix magni præda futura proci.
Quid faciet? pugnet? vincetur viribus impar:
  Exeat? obductis ostia clausa seris.
Neu fugeret, manibus captam tenet ipse puellam:
  Tunc, ô Sforciade, quàm malè fortis eras!
Pars quota laudis erit, si quæ rubuisse decebat
  Strage lupi, ad fortes concidat agna manus?
Nil agimus; cœco præcordia carpitur igni,
  Quamq; procul Numē, tam prope crimē habet,
Dum

VIII. B.VIRGINIS Imago castitatem spirat, & libidinem extinguit.

a. *Paulus Rubenius Belga pictor nostro ævo clarissimus.*

b. *Franciscus Sforcia Mediolanensis Dux, captiva puellæ formâ illectus, visa B. Virg. Imagine libidinem extinguit.* Paulus Iovius.

Dum sic pugnatur: DIVÆ prostabat imago,
Vltima quassatæ fortè tabella ratis.
Dicitur hanc supplex oculo lácrymante puella,
Et deplorata sic adijsse prece.
O bona, si quando (summâ pugnamus arenâ)
Esto meæ custos Virginitatis, ait,
Quod potui feci, ne per me fiat adulter:
Vlterius nostræ nil potuêre manus.
Audijt; audieratque procus, cum lumina flectens
Aspicit in patulo VIRGINIS ora loco.
Hæsit in aspectu; juvit vidisse MARIAM:
Ceu gelido tactum frigore pectus erat.
Nec tamen obriguit victæ clementia linguæ:
Ito ait, i quò te casta MARIA, vocat.
Pœnitet admissi: servati cura pudoris,
Fac pondus culpæ detrahat illa meæ.
Ergo Marianam, juvenis, tibi quære tabellam,
Vtque manu scutum, luminibusque tene.
IX. Forsitan aura tepet, brumâ nivibusque solutis,
Mollior; at damno sæpius illa tuo.
Consule limaces, tolerant hyememque geluque;
Exitium veris proximitate ferunt.
Hos ubi sole novo madidas reptare per herbas
Conspicit exigui fortè colonus agri.
Humida captantes præacutâ perforat ulmo,
Aut cochleam duro proterit ille pede.
Et tibi, ni caveas, Zephyris mulcentibus auras,
Soleque vicino multa dolenda ferès.
Balnea tunc redeunt, redeunt convivia pagi,
Vinaque per liquidas sæpe petuntur aquas.
Quid

IX. Balnea & compotationes æstivæ juvenibus vitandę.

Quid si prata subis tilijs facientibus umbram ?
  Gramine quod forsan sederis, anguis erit.
Accedunt veteres redivivo nomine *a.* Baiæ,
  Quas tibi finitimus sæpe ministrat ager.
Hæc fugito, ignorat Marianus balnea cultor;
  Obruitur placidis sæpe natator aquis.
Sæpe alter referens illoto pectore vulnus,
  Non hęc (ut rebar) lympha salubris, ait.
Est prope pomiferę (fingamus) pascua vallis,
  Ripa virens, molli quam rigat amnis aquâ.
Huc juvenes venêre; ęstusque, amnesque vocabāt,
  Et levis herboso navis itura loco.
Fervet opus, lentos admittunt flumina remos;
  Applaudit lætis utraque ripa jocis.
Viderat hos latitans inter saliceta Cupido:
  Viderat hos calido cui rubet uva mero.
Cum prior ad Bacchū: prædāue in flumine cernis?
  Arte petenda mea est, arte tenenda tua est.
Me vinis sectare datis, ego prævius ibo:
  Sit tibi cura sequi, præmia certa manent.
Talia fatus Amor pharetram deponit & alas:
  Artem dissimulat, nequitiamque tegit.
Mentitur juvenem croceo velamine; gaudet
  Pileolum nitidis imposuisse comis.
Ah! quoties viridi sese conspexit in undâ,
  Et facta est vultu blandior unda suo!
Prodijt hinc pingui distentus corpore *b.* Liber:
  Risit Amor, brevior corpore vestis erat.
Vt navem subiêre, augent numerumque jocumq;
  Solvitur in fœdos libera lingua sales.

Sæpe

a. *Baiæ civitas Campaniæ ubi aquæ calidæ, & balnea antiquis celebrata.*

b. *Liber Bacchus, ita dictus quod mentem & linguam liberam & ad quævis pronam efficiat.*

Sæpe gravante ratem Baccho, tenuisse putatur
Oppositâ juvenes parte Cupido suos.
Appulerant pratis, fusi jacuêre per herbam:
Vina petit Bacchus, carmina cantat Amor.
Iam cyathis certant, cyathis numeratur amica:
Vina rubent ipsis conscia facta sonis.
Odimus (exclamant) Martem quia sanguine gaudet;
Spicula sunt sparsæ nil nisi nostra rosæ.
Quidquid id est, acres sensim potatio rixas
Suscitat; ô quantum Liber, Amorque nocent!
Præbent arma Syphi nec tales culter in usus
Traditus; effuso sanguine terra madet.
X. Proxima cura tibi pravos vitasse sodales:
,,Corrumpit multas una frequenter oves.
,,Quæ læsa est, lædit vicinas uva; propinquum
,,A quo lædatur corpore, corpus habet.
Elige cui nivei mores, cui candida virtus:
Ille sodalitio fac tibi junctus eat.
Siquis (ut in populo) ferrum malè gestat amator,
Et vespertinas captat, obitque vias.
Vitabis: loca dicta nocent, loca dicta feruntur,
Funera lascivis sæpe dedisse procis.
Quere tibi comitem, quocum delubra frequentes
VIRGINIS; exemplo non caruisse potes.
a. Tulleadem quondam (fecerunt nomina b. Senę)
Hoc DIVAM cultu demeruisse ferunt.

Vix

X. Socij & obambulationes quæ fugiendæ, quę captandę.

a. *Tulleades D. Bernardinus Ord. S. Francisci à Tullo patre sic dictus.*

b. *Sena urbs Hetruriæ, ex qua Oriundus: unde & Senensis vulgò appellatus.*

Vix bene vesper erat, nulla est mora, pergimus, inquit,
Limina sunt Dominæ nunc adeunda meæ.
An caleant alij, verbisque incendia jactent,
Brumaque Virginei dicar amoris ego?
Non erit hoc, teneris quæ me perstrinxit ocellis,
Sollicitat cupidos ad sua tecta pedes.
Audierat cognata, jocum, trepidatque, doletque:
In dubio est an amans esset, & illud erat.
Nempe *a*. Camollææ formosa ad limina portæ,
Prostabat signo DIVA colenda suo.
Huc ibat juvenis, caræ ceu limen amicæ
Captat amans, serus cum cadit orbe dies.
Vix loca contigerat, repetita dat oscula posti;
Ter curvo fertur procubuisse genu.
Inde oculis castum, lacrymisque fatentibus ignem,
Aggerit has, animo plura loquente, preces.
VIRGO meæ (tu scis) fax prima & sola juventæ,
Hæc vespertini vota clientis habe.
Sol abit, & cœlo claros ciet *b*. Hesperus ignes:
Candida nocturnis Cynthia fulget equis.
Quid tamen hanc spectem? flāmâ meliore calesco?
Incitat ardores *c*. Cynthia nulla meos.
Nam quid amen, quod amare nocet? præstantia formæ
Talis, ad humanas quæ nitet alba genas.
Est

a. *Camollia urbis Senēsis porta, quà iter est florētiā.*
b *Hesperus stella Veneris, quæ manè solem præcedens Lucifer appellatur, Vesperi subsequens Hesperus, de quo Virg.* in Eclogis.
Ite domum saturę, venit Hesperus, ite capellæ.
c. *Cynthia Propertij amasia, eiusq; carminibus celebrata.*

Est aliquid, fateor, facies lucentis Olympi,
Quæque micant alto sidera clara polo.
Plus flammæ tamen usque tui jaculantur ocelli:
Clarius hoc nullum sidere vesper habet.
Mille licet veniant formâ prestante puellæ,
Inter formosas unica nomen habes.
Dum vovet hæc, obscura loci cognata tenebat:
(Nam comes ad sanctos venerat illa dolos.)
Nec mora, succlamat: belle est, cognatule, vincis:
Quà dolui melius, quamque verebar, amas.
Parce, precor, fasse; redamo quam visis amicam:
Illa meos ignes augeat, illa tuos.
Da mihi Tulleadas, & erit sine crimine vesper:
Destituent nigros atria nigra procos.

XI. Est quoq; quod vatum lasciva poëmata culpem:
Blanditijs pugnant, pectoribusque nocent.
Arguimus calamum, cujus madefacta veneno
Læsuras didicit charta fovere notas.
Debuit ille reum potiùs damnasse poëtam:
Quod niger, inscripti est criminis ille color.
Fabula narratur priscis notissima sæclis:
Nec piget hanc numeris inseruisse meis.
Fons fuit (antiqui dixêre a. Aganippida vates)
Plurima quem circùm consita laurus erat.
Sæpe ferunt castas illic pia Numina Musas,
Pollice inauratæ tangere fila lyre.

Præsi-

XI. Poëtarum libri qui promiscuè amorem & turpitudinem docent, juvenibus cavendi.

a. *Aganippe unde Aganippis fons Beotiæ cuius aquæ potæ dictæ sunt præstare facundiam: hinc Musis & Apollini sacer habitus est.*

Præſidet his lauru frontem redimitus Apollo,
Quà ſacer irriguis defluit humor aquis.
Sed fuit hoc olim: poſtquam Venus irruit, iſto
Telaque laſcivus lavit in amne puer.
Senſerunt puræ damnata incendia lymphæ,
Et caſtas vapor hinc juſſit abire deas.
Tinxerat hic aliquis calamum, cum ſcribere vellet,
Pro leni verſu, ſulphur & ignis erant.
Inde tuos petulans traxiſti, Naſo, calores:
Inde, Catulle, tuos; inde, Tibulle, tuos.
Hæc cave contigeris a. Vates monet: abijcit arma
Quæ tulit; ipſe ſuum non probat auctor opus.
Attamen ut verſus quiſquam teneatur amore;
Eſt modus; innocuo plurima fonte fluunt.
Quos Venus infecit reparantur VIRGINE fontes;
His ſua divinus lilia tingit Amor.
Occurrunt Belgæ non infima nomina Vatum:
Noſtraque Caſtalias Inſula præbet aquas.
Hinc reſonat ſacris b. Hugonia Muſa querelis:
Inde c. Cabillavo Magdala fonte calet.
d. Werpæi lacrymas quis non niſi caſtus amavit?
Invenit hic thermas culpa lavanda ſuas.

Mella

a. *Ovid. lib. 2. de Remedio* Amoris.

Eloquar invitus, teneros ne tange Poëtas:
Summoveo dotes impius ipſe meas.

b. *Hermanni Hugonis è Soc. IESV pia anima ſuſpiria.*

c. *Balduini Cabillavi ex eadem Soc. Magdalena lacrymæ.*

d. *Caroli VVerpæi ex eadem Soc. Piæ itidem lacrymæ elegijs expreſſæ.*

Mella *a*. Leonis habes gemino fragrantia libros.
Hic I e s v flammas Virginis ille docet.
Nec tibi Loïoleos animus si discere fastos :
Vate *b*. *Penequino* destituendus eris.
Aspice *c*. Iardinium, nihil est florentius illo,
Quà molles Elegos ad sua vota trahit.
Ipse ego si vates, populo si ponor in illo,
Pars ero ; & *d*. Heroum fortè legetur opus.
XII. Hactenus à scopulis deflexímus ; attraho lora
Fortiùs & gyro curro poëta meo.
Ergo ubi te Cypris limis tentarit ocellis,
Et fuerint primas pectora passa faces.
Tunc opus est armis ; tunc, ô fortissime, pugna:
Vincenda est telo Cypria lena tuo.
Attamen armorum plus uno vincimus usu :
Elige quo fortis, victor & esse velis.
XIII. *e*. Flebilis exeso Benedictus sederat antro :
Vitandi Veneris spicula, causa fuit.
Terra torus, durusve silex : jejunia vesper
Solvebat, solidos sæpe retenta dies.

Pro,

XII. Asperitas vitæ arma adversus libidinem.

XIII. Vepres.

a *Antonij Deslions Elegia de Amore IESV & MARIÆ.*

b. *Petri Penequini Insulensis Soc. IESV primum Deiparæ sæculum Deiparæ sacrum.*

c. *Iacobi Iardinij Elegiæ sacræ.*

d. *Sacrarum Heroïdum Epistolæ, anno sæculari Societatis, ab auctore in lucem editæ.*

e. *S. Benedictus libidinis æstum, quem illi dæmon sub merulæ avis specie iniecerat vepribus extinguit.* S. Greg. in vita 21. Mart.

Pro, quoties libo coram, jam jamque prehensans
Tangere vicinas destitit ore dapes!
Viderat hoc satanas; jejunum persequar, inquit:
At mihi sunt pugnæ jura novanda meæ.
Ergo vafer merulæ formam mentitur, & alas
Induit; Idalio tinxerat ante lacu.
Inde caput pingui ter circum aspergine tingit,
Et Paphio tentat corpora casta foco.
Quid facias, Benedicte! atrum consurgis in hostem:
Terque repellis avem, terque recurrit avis.
Dum volat, incestæ figuntur corde sagittæ;
Nec sibi jam nomen, quod fuit, esse, putat.
Torridus inclamat fontes: volvuntur inanes
Ex oculis lacrymę, fortior ignis erat.
Nunc hostē fugiens mœstum procurrit in antrū:
Nunc in arenosâ membra reponit humo.
Limes erat, denso circùm area spissa vepreto,
Huc hostem dumis impliciturus adit.
Nec mora nudatos hirsutis vepribus artus
Induit, & duram sanguine tingit humum.
Tertius effuso cum sanguine diffugit hostis:
Insuetus duro bella movere toro.
Dicitur ad matrem lacrymans venisse Cupido,
Et laceras spinis exhibuisse manus.
Nec modò vepreto, nivibus quoq; bella movētur, XIV.
Pugnaces animos frigida sentit hyems.
His quōdam a. Assisius Venerem deterruit armis:
Duci per gelidas non tulit illa nives.
Nem-

XIV. Lacus.

a. *S. Franciscus ab Assisio Vmbriæ Oppido in Italia, accensum in corpore libidinis æstum nivibus domat.* S. Bon. & Ribad. in vita 4. Oct.

Nempe ubi damnato sensit sibi sulphure corpus;
Et malè correptas incaluisse fibras:
,,Adversis adversa ruunt, pugnabimus, inquit:
Frigore pellendus qui tenet ossa calor.
Bruma gelarat aquas, concretos æthere nimbos:
Sub densâ tellus stabat operta nive.
Frăciscus căpum ingreditur, trepidatque Cupido;
Vel quia vincendus, vel quia frigus erat.
Mox bello incumbens, simulacra nivalia fingit;
Candidaque insueto littore castra locat.
Constitit ut gelidâ nudus luctator arenâ,
Et membra admisso corriguêre gelu:
Vicimus, exclamat, cum flammâ evanuit hostis;
Quæsitum in toto corpore frigus adest.
XV. Et fluvijs vis est, præbent quoque tela paludes:
In *a.* patrijs Cypris vulnera sentit aquis.
b. Ardebat juvenis sceleratis ignibus; illum
Loïola sæpe monens, turpiter, inquit, amas.
Nec tamen idcircò funestos ponit amores:
Æquabant fœdas ossa perusta faces.
Ergo subobscuro fieret cum vesper olympo:
Et præceps vetitos, quæreret ille toros:

Resci-

XV. Lacus.

a. *Venus ex aquâ & maris spumâ enata fingitur à Poëtis.*

b. *S. Ignatius de Loïola, Soc. IESV fundator, cum Parisijs adhuc in studijs ageret, ingressus ipse præfrigidum lacum, Iuvenem à libidine revocat. Simile quidpiam narratur de S. Bernardo de quo Bidermanus lib. 2. Epig. 19.*

Has Venus in thermas si sæpe lavanda veniret,
Non ita Baianis semper egeret aquis.

Rescivit Loïola viam : retinebo ruentem,
  Inquit : at insolito pugna movenda dolo est.
Pons erat, & subter circumque effusus in æquor;
  Stagnabat gelidâ torpidus amnis aquâ.
Hunc subit, incestumque lacu mersurus Amorem
  Pugnator gelidis fervidus instat aquis.
Vtque propinquabat ponti lascivus amator,
  Et prope funestum carpere visus iter.
Quò ruis ? exclamat: vesanos supprime gressus,
  Sta, voluisse sat est : hoc quoque crimen, ait.
An pergis ? nec te violati Numinis ira,
  Nec sacer abrupto calle retentat Amor?
I, miser, indulge flammis, ego frigore solvam :
  Atque utinam pœnis stet tua pœna meis !
Territus admonitu juvenis vestigia pressit:
  Aspicit in medijs ora monentis aquis.
Mira loquor; gelido Loïola calebat in amne:
  Ad non contactas ille rigebat aquas.
Nec satis est pugnasse gelu, pugnabis & igni: XVI.
  Quæ sua sunt, Cypris flammea tela timet.
Fortè tenebatur castro conclusus a. Aquinas:
  Cœlestes aras quærere, culpa fuit.
Verba minæque volant; tollebant omnia venti :
  Stabat caucaseâ firmior arce puer.
Mox tamen ut molles venêre ad prelia vultus:
  Pugna redardescit, fœmina miles adest.
Quid faciat ? non arma gerit : discedere septis,
  Ipsa etiam, objecto corpore lena vetat.

Ter-

XVI. Ignis.

a. *S.Thomas de Aquino Ord.S.Dominici, titione fœminam impudicam abigit.* Surius & Ribad. in vita 7. Martij.

Terque quaterq; procax contra institit: acrior ille
Reppulit instantem terque quaterque lupam.
At simul arrepto prætendit spicula torre,
Et nova de calido sustulit arma foco.
Protinus exclamo: certa est victoria Thomæ:
Expellunt sævas ignea tela lupas.

XVII. Cætera ut expediam: simplex, minimique laboris
Hirsutis modus est stringere membra sagis.
Sæpe hæc fœminei tenuerunt arma lacerti:
His vicit fortes fœmina sępe viros.
Quid Bethulęis insultas, barbare, muris?
Quâ caput amittas, una a. Meraris adest.
Hac quoque loricâ ne quà surreperet hostis,
Cæciliæ armatum pectus amantis erat.
Tolle tuas decepte faces, arcumque, Cupido:
Quod feriat nil hic mollior arcus habet.
Proximus huic labor est (armorum fungar ut omni
Munere) sanguineo plectere terga flagro.
Fors somnum captabat Amor projectus in herba:
Sepositus lateri belliger arcus erat.
Hunc juvenes traxêre manu, nervoque soluto
Insuetis puerum corripuêre flagris.
Inde (reor) texti veniunt ad verbera funes,
Militiæque novæ tympana pulsa sonant.
I, puer, & laceros arcus ostende parenti:
Exitio cedunt, quæ geris, arma tuo.
Quidni etiam moveat jejunus pręlia Cultor?
„Est virtus certas sumere nolle dapes.

In-

XVII. Flagra, cilicia, jejunium.

a. *Iudith, à Meraro patre, quæ amputato Holofernis capite, Bethuliam patriam suam obsidione & exidio liberavit.*

a. Indus erat tam mente nitens quam corpore fuſcus:
Luciferæ pectus tinxerat humor aquæ.
Macte animo, te bella vocant: ſine vivere damas,
Inde; inſtant telis altera bella tuis.
Viderat hunc b. Mænas Veneris ſtimulata furore,
Et quoniam caſtum corpore pejus amat.
Inſidias, (ardebat enim) ſtruit illa; rogando
Exſtimulas: Cypriâ quod ferit arte, movet.
Ille dolum contra dapibus jejuna ferebat
Corpora, per nullos inficienda cibos.
Senſit ut hoc meretrix, & jam nil poſſe rogando:
Nequitiâ utendum eſt, hoc quoque fiet, ait.
Perdere ſi mentem non quivi, corpora perdam:
Dixit, & affuſo munera felle linit.
Munus erat libum, quod mixtis coxerat ovis:
Funeſtum pellex littera juvit opus.
Accipit hoc juvenis, vertit, luſtratque; tenebat
Neſcius, heu! fato tela parata ſuo.
Interdum ſibi gliſcente cupidine, labris
Ter mota eſt, recidit, ter quoque lapſa manus.
,,Hoc meliùs; nocet empta brevi dulcore voluptas:
,,Et placitis lucrum eſt abſtinuiſſe bonis.
Dona placēt; ſed & hęc DIVAE libabimus, inquit:
Cras mihi tranſmiſſi muneris eſus erit.
Fallere, tolle manum: quid enim niſi toxica tāgit?
Funeſto livent nigra venena cibo.

D Ser-

a. *P. Gaſpar Lechnerus in Sodali Parthenio.* Lib. cap. 8.

b. *Mænades eædem quæ Bacchæ, hoc eſt mulieres inſanientium ritu Bacchi orgia celebrantes, à Græco* μαίνεσθαι, *quod ſignificat inſanire. Tales etiam efficit veſanus Amor.*

Servarunt juvenem castæ jejunia Divae:
Solvisset, certâ morte premendus erat.

XVIII. Iuverit interdum species quæsita sepulchri,
Siccaque funereis ossa reperta locis.
,,Auferimur fati immemores plerumq; futuri:
,,Quæ præsens, cœcum quemlibet hora facit.
Quamprimùm exangues fecerunt otia curas,
Lædimur: occultâ tunc subit arte Venus.
Quò fugis, ah! *a.* Theodore, manè, dicebat amica:
Edit festivum tibia festa melos.
Quò fugis, infelix? movet hæc tibi gaudia mater:
Quid pugnas votis illius, illa tuis?
Nil agitur, cedit: non hunc fugitura morantur,
Sabbata: longa poli gaudia mente capit.
Mitte rosas (fluxi labuntur munera veris)
Quisquis es, atque animum corpore pluris habe.
Nempe tibi venient cani, formose, capilli:
Quæ letho sævit, te quoque lędet hyems.

XIX. ,,Quod superest, valido fugienda pericula remo:
,, Incitat arsuras proxima flamma domos.
,,Vicinas quoties pestis afflaverit auras:
,,Vtile finitimis abstenuisse locis.

Lothe,

XVIII. Meditatio mortis & æternitatis.

XIX. Fuga occasionum castimoniæ servandæ perquàm necessaria.

a. Theodorus iuvenis Ægyptius consideratione mortis & æternitatis epulum solenne deserit & Monastica vitæ sese mancipat. Vitæ SS.PP.

Lothe, recedebas, quid abimus? *a*. Lothias, inquit:
Constitit, at damno constitit illa suo.
Exanimes (ut erant) marmor succrevit in artus,
Et salsus miseræ proluit ossa liquor.
Da mihi *b*. Iacobidem; nullo retinebitur astu:
Palliaque incestæ tacta relinquet heræ.
Attamen ut fugias metuendo liber ab hoste,
Non idem semper callis agendus erit.
Servasset *c*. Didymus vestes, odisset amando:
Cum posuit, verè castus amator erat.
Sæpe fugam Aligeri juvenes docuêre ministri,
Et juvit trepidos mobilis ala pedes.
d. Betilis Hannonias inter castissima Nymphas,
Aligero dudum vindice casta fuit.
Forma nitens, nullo quantumvis oblita fuco,
Quos nunquam vellet, fecerat esse procos.
Trans mare rumor abit, flammamque accendit eundo:
Ardent Hannonijs regia corda focis.
Certum est ire mari: neu forsan puppis aberret,
Monstrat captandas hæc nova flamma vias.
Nulla mora est, summis addunt carchesia malis,
Accipit instructas æquoris unda rates.

D 2 Credi-

a. *Lothias uxor Lothi, quæ ex fuga Sodomæ ob tarditatem, in statuam salis cõversa est.* Gen. 19.
b. *Ioseph à Iacobo patre.* Gen. 39.
c. *Didymus adolescens Theodorã Virginẽ mutato habitu, è fornice liberat.* Vide Epist. Sacrarum Heroïdum lib. 2. Epist. 4.
d. *Bertilis S. Aldegondis Bertiliæ & VValberti Principum in Hannonibus filia, Edonis Regis Anglorum filij nuptias fugiens, Nobile Canonissarum Collegium Malbodij condit.* P. Triquetius in vita.

Credibile est cessante Noto, quæ vota calebant
Spirasse, & prono vela tulisse mari.
Littora contigerant Morinos præbentia portus:
Belgica *a.* Brutiadis terra feritur equis.
Mox ubi ad Hãnonias fama hęc percrebuit arces,
Algondis subitò palluit icta metu.
Prodimur (exclamat) pavidæ succurre pūellæ,
Caste pudor, castris stant ea damna tuis.
Dixerat hęc, patriosque fugit sine teste penates,
In plantâ est, animo qui fuit ante, timor.
Ventum erat ad *b.* Sambræ ripam, quà defluus amnis
Permeat; ac madidâ littora pulsat aquâ.
Sistitur Algondis: non ultra semita pontem,
Quam vehat, aut jactu cymba rudentis adest.
Ter lacrymas fudisse ferunt: ter flumine tacto
Pectoribus madidas apposuisse manus.
Inde ter in cœlum rorantia lumina flectens,
(Queis potuit magni corda movere Dei)
Videris hoc, inquit, qui currere cogis amantem:
Imperio subsunt ventus & unda tuo.
Per campos fugi, campi juvêre fugacem:
Nunc mihi, si quando, providus Ales, adest.
Hæc ubi tentat aquam: gressum tentata ferebat:
Neve etiam fluctu planta sit uda, cavet.
Fallimur: hanc passis niveus comes extulit alis,
Et famulâ fertur sustinuisse manu.
Flumine transmisso, Sylvæ penetralia captat:
Vmbra placet, possit dummodo casta mori.

Exhinc

a. *Brutiadæ Angli dicti, à Bruto Silvij posthumi Latinorum Regis filiò qui olim Angliam occupavit.*

b. *Sambra Hannoniæ fluvius, eamdem intersecans.*

Exhinc Malbodij ſedes ſacrata MARIAE,
Nobilibus Nymphis nunc quoq; caſta manet.
Iſta fugę dedimus, tunc cum loca proxima lędũt: XX.
Cum proſunt, cupido ſunt adeunda pede.
,,Candida ſi fuerint, properant ad tecta columbæ:
,,Ad thyma mellificæ conglomerantur apes.
Tu quoque Virgineis Mariana ſacraria ſeptis,
Cœlitibus notum Cultor adibis iter.
Veſtibulum agnoſcas poſitis ad limina ramis:
Spirat odoratâ florea meſſis humo.
Inde dato ſonitu, (ſonitu nam turba ciétur)
Aureus hęc roſeo protulit ore puer.
O, quicunque cupis MARIÆ Cultor haberi,
Huc ades: hîc magnæ feſta coluntur Heræ.
Accedunt juvenum, majorque, minorque ſenatus:
Huc proceres cogit Legia ſancta ſuos.
Sępius hos vidi; cultumque augente CARAFA
Nobilior ſolito curia tota fuit.
Conſtiterant omnes: lectas diſtinguere turmas
Luminibus cœpit, nominibuſque Parens.
Poſcit Amor, calamos auro deſcribit amantûm
Nomina, per titulos ingrediturque ſuos.
Ille præeſt turbæ: ſtipant hunc ordine bini:
Terque bis aſſurgunt, conſilijſque vacant.:
Hic partes lectoris obit: cuſtodia templi,
Huic datur, & parui cura ſecunda laris.
Agnovi procerum titulos, Regumque tiaras;
Nomina manſuris non abolenda notis.
Vtque auro quævis fulgerent Symbola; ſcuto
Iuncta CARAFAEO purpura ſemper erat

D 3 Cęte-

XX. Sodalitia Mariana juvenibus frequentanda,

Cætera Virginei celabant codice Fasti :
Sed per venturos non reticenda dies.
Quæ modò sint istis curanda negotia tectis
Expediam ; castum tu modò limen adi.
XXI. Concipe famosæ cantata palatia *a*. Circes,
Quà circumfusi personat unda maris.
Hic Regina toro, regali fulgida veste
Assidet, & famulas dirigit arte manus.
Nec tamen his fusos texendæ volvere telæ
Est labor, aut lanas excoluisse rudes.
Arboreas manibus carpunt tantummodò frondes,
Et quæcunque niger gramina lucus habet.
Mox fusas Circe calathis examinat herbas,
Excipit & parvis pressa venena Scyphis.
Dicitur huc quondam ventis delatus Vlysses.
Vestibulo affusos obstupuisse lupos.
Fecerat hoc Circe liquidi dulcore veneni :
Humana in varias verterat ora feras.
Ah ! quoties aliquis conatus promere vocem,
Expavit sonitu territus ipse suo !
Ah ! quoties vultumque miser, fontemque reliquit,
Dum liquidas curvo corpore captat aquas !
Vt fuerint, solitque isthæc constantia verbis :
Provida Circæum VIRGO retexit opus.

Dic

XXI. Sodalitia B. VIRG. novę vitę officina.

a. *Circe filia fuit Solis & Persæ nympha, quæ quia venefica esset peritissima dicta est tradito potu homines in feras commutare.* Vide Metam. lib. 14.

Dic mihi Saxonico, *a.* Gertrudis, cognita cœlo,
Pallia quid castæ laxa Parentis habent.
Spectabas mistos apris, tygribusque leones,
Captare augustę tegmina sacra togæ.
Inde recedebant vultus exuta ferinos
Corpora vir fœdo de sue factus erat.
Hęc loca sunt DIVAE: *b.* Serratum consule montem,
Loïolidûm cunis claruit iste locus.
Venerat huc miles Loïola, alterque recessit;
Desijt in cultu, qui fuit ante, color.
Cannaba vestis erant pręcincti funibus artus:
Stringebant nudos lorea vincla pedes.
Hic ensis, dicebat amans (suspendit & ensem)
Mansuetus nostri testis amoris erit.
Da mihi, perque meos, VIRGO, si quando Sodales,
Alba pudicitiæ signa, ducemque sequi.
Si minor Europa est, alium curremus in orbem:
Accipiet flammas ultima Sina meas.
Quid, Quod Partheniâ scaturit fons lympidus aulâ? XXII.
Nunquam tam niveas *c.* Albula volvit aquas.

XXII. Fons Marianus.

a. *B. Gertrudis in Saxonia Islebij nata, urbe Comitatus Mansfeldici.*

b. *S Ignatius in Monte Sarrato B. Virg. auspicio novam vitam inchoat.* Mafferus & Ribad. in vitâ.

c. *Albula fluvius qui postea Tiberis, ab aquarum albedine ita dictus.*

Laverit hîc, purâ *a*. Nilotida Christus habebit:
Laverit hîc *b*. Thaïs, candida Thaïs erit.
Quid tibi *c*. Theophilum memorem? cognomine fallit:
Heu! abjurata Virginis qualis erat!
Venit ut ad fontem subitò conterritus hęsit:
Sollicitum admissi criminis horror habet.
Nempe tenebatur, testisque nigerrima pacti
Littera, ad Infernos venerat usque lacus.
d. Eumenides nigris feriebant ora colubris:
Delicto nullas esse putabat aquas.
Quid facis, infelix? Marianos tangere fontes
Quid cessas? plus es, quàm videare, reus.
Orat Opem Divae gemitu, ploratibus urget:
Torpuerat gelido conscia lingua metu.
Ecce tibi circùm summi laquearia templi,
Nescio quæ picei sulphuris umbra volat.
Horruit aspectu; nec se putat esse ferendo:
Sacrilego inscriptum carmine terret opus.
Dum gemitus instant, & amor præcordia carpit,
Decidit ad pavidos littera lapsa pedes.
Surgit, & exclamans, agnosco pondera culpę:
Consistunt summis crimina nulla locis.

Quid

a. *Nilotis S. Maria Ægyptiaca, à Nilo flumine Ægypti, ubi pœnitentiam egit.*

b. *Thaïs item ex meretrice pœnitens.*

c. *Theophilus iuvenis, tradita dæmoni syngraphâ, & obiurata Virgine, veniam obtinet.* Metaphraste, & Pet. Dam. ser. 1. de Nativit. B. Virg.

d. *Eumenides, furiæ Infernales, dictæ per antiphrasim quod minimè benevolæ: has Poëtæ Acherontis & noctis filias fecere.*

Quid miser, heu! refugis? non sunt quæ crimina tangas?
Asservat nullum candida charta scelus.
Fecerunt lacrymæ, flammas Amor addidit: istâ
Diluitur, quidquid fædat Avernus, aquâ.
Hactenus ad fontes positis examine culpis, XXIII
Alba Marianis pectora lavit Amor.
Vos modò mensa vocat, purâ cum veste venite:
Admittunt castas non nisi fercla manus.
CHRISTVS adest, nivei latitans sub imagine panis;
Hunc gaudet sacro promere VIRGO penu.
a.Kostkiades Latiam juvenis properabat in Vrbē,
Quà magnus rapidis volvitur b. Ister aquis.
Constiterat templo: squallebant atria clausis
Porticibus custos in fore nullus erat.
Cœlestes cupit esse dapes; nisi DIVA, ministras
Longa terenda via est, deficiemus, ait.
Dixerat hæc Matri: tenues delapsa per auras
Cernit in Angelicâ candida liba manu.
Adstitit Aligeris præses quoq; Barbara: plusquam
Nomine, quod semper, tunc quoq; blanda fuit.
Ite per exemplum, fuerint seu festa MARIAE,
Seu Divûm, aut primis luna recurrat equis.
Fallimur? an solitos tinnitus æra dedere, XXIV.
Et venit ad sactos candida turba lares?

D 5 Atria

XXIII. Mensa Eucharistica.
XXIV. Pulpitum Marianum.

a. *B. Stanislaus Kostka, Viennâ Austriæ Romanum iter ingressus, ab Angelis sacro epulo reficitur.* Sacchinus in vitâ

b. *Ister sive Danubius Germaniæ fluvius, & Europæ longè maximus ac rapidissimus.*

Atria jam ſubeunt, linguis, animiſque favete;
Aurea Virgineus pulpita ſcandit Amor.
Nunc acer verbis culpæ contagia damnat;
Increpat, audaces perſequiturque reos.
Mitior interdum cauſas proponit amandi,
Et ſtimulat pigras ad ſua juſſa manus.
Pręmia commemorat Mariano certa clienti:
Verbaque quot, tepidas tot jacit ore faces.
Crede mihi, ſi quem, non hæc incenderit hora,
Frigidius glacie pectus amantis habet.
Quid, quoties Elegi cœtum illuſtrante Carafa
Illic *Iardiniâ* perſonuêre chely?
Fertur Amor poſitâ pharetrâ tantiſper & arcu,
Sępius auditis Subſiluiſſe modis.
Sæpe peroravit plenâ *Lobetius* aulâ,
Cui data Supremæ cura phalangis erat.
Nec ſua Romano facundia defuit ori,
Fundebat latices cum *a. Petra Sancta* ſuos.
Hei mihi, quàm rerum variè mutabilis ordo?
Nunc ſtagnas lacrymis, ô *Petra Sancta*, meis.
Te perimit (fontem prohibet quis dicere?) Creſcens
Calculus; à titulo deficit ille tuo.
Quidquid id eſt, Magnis Virtus tua grata Carafis
Adſit, & ad numeros tranſeat illa meos.
XXV. Eſt quoque in auguſta ſpecies viſenda tabella,
Quam mixtus pictâ temperat arte color.
Ad

XXV. Pictura Sodalitatis.

a. *P. Sylveſter Petra Sancta Romanus Soc.* Iesv, *Eminentiſſ. Card.* Carafae, *Pontificio tum apud Eburones Legato à Confeſſionibus.* Obiit *Romæ* 1647.

Ad tabulæ medium solio sublimis eburno,
 Subdita cui lunæ cornua, Mater adest.
Aurea formosos succingit mitra capillos,
 Regales ornant aurea sceptra manus.
Aspicias pallam, rutilis micat illa pyropis?
 Quod portant vestes, hoc quoque vultus habet.
Subter amatorum gens plurima; cuiq; suppellex
 Sacra manu; hic violas; lilia hic alba gerit.
Ille facem præfert; tabulamque coloribus urit:
 Ille jacit calidis thura Sabæa focis.
Viderat hanc aliquis veniens spectator ad aulam,
 Et secum auditus talia verba loqui.
Quid petitur tanto nisi verus cultor *a*. Apelle?
 Effingit mores ista tabella meos.
Si tamen exspectas pondus quoq; vocis ut addã, XXVI.
 Eloquar: admonitis vulgus adeste meis.
Plus unâ colitur MARIA Sodalibus arte:
 Invenit plures nulla palæstra modos.
Sunt Laureta sonent qui divæ cantica: cœli
 Securum multis hæc via præbet iter.
Per globulos alij Mariana Rosaria texunt:
 Davidicum hic DIVAE mollius aptat ebur.
Vt fuerit non his præsens quoque laudibus ætas
 Conticet: inventis utitur illa suis.
Pergite ad *b*. Atrebates, bissenis ignibus ardent,
 Cum nova conspicuos luna reducit equos.

Vt

XXVI. Varia Sodalium Exercitia.

a. *Apelles pictor eximius apud veteres.*
b. *Atrebatium Iuvenum Sodalitas, primâ cuiusque mensis Dominica, thronum Deiparæ construit 12. gradibus totidemq; cereis conspicuum: cœptum ann.* 1644.

Vt cœlo hæc, claro ſpectatur DIVA theatro:
Augurium tali lumine menſis habet.
Maius adeſt; fer ſerta tuę, ramoſque Patronæ
a.Aria; florigeri eſt iſtud amantis opus.
Talia conveniunt Marianis arbuta tectis:
Quam vellent longas tunc habuiſſe comas!
Sed neque vos ſileam cæpti modò b. Montibus hymni:
Inventum Superis, Parthenicisque melos.
Vox repetita ſonat, retinentque ſilentia vocem:
Tanguntur mixtæ ſic bene fila lyræ.
XXVII Interea cœlo forſan nimboſus c. Orion
Subrubet, & gravidæ nuntia d. Pleias aquæ.
Quid facias? quò vela dabis? quæ littora tanges?
Multa procelloſus triſtia pontus habet.
Hinc brevia, & madidis latitant e. Sirenes in antris.
Eheu, quàm multos perdidit ille locus!
Crede mihi, nautas fallit molliſſima Siren;
Altera per longas turba videnda comas.
Eripe te dubio DIVA allucente profundo:
Per ſcopulos tutam fac regat illa ratem.

Innu-

XXVII. MARIA maris ſtella.

a. *Aria à Iunioribus Sodalibus cœptum an.* 1644.
b. *Corolla Virginea ſacri Roſarij, quà voce menteque pſallitur: inventum Alumnorum Seminarij Montenſis Soc. IESV in Belgio anno* 1644.
c.d. *Orion & Pleiades ſidera tempeſtatum & pluvia prænuntia.*
e. *Sirenes monſtra marina muliebri ſpecie, quæ nautas, dulcedine cantus ad ſcopulos allicere dicebantur.*

Innumeras rexit : talis, *a.* Barrete, fuisti:
Errabat dubio cum tibi cymba mari.
Nunc remanere domi, patrijs nunc cedere tectis
Impetus; hunc subiens impetus alter erat,
Dum dubius pendens formoso in lumine DIVAM
Conspicis, inque nigrâ corpora bina togâ.
Hos monstrat, suadetque sequi MARIA Sodales:
Quà tendunt, numquam molliter itur, ait.
Ergo age, junge viros; tibi cum fidelior adsum:
Pone metum, Nunni, tu quoque noster eris.
Ipsa dabo vires, cœlo præbebimus ignem:
Per cæcas erret ne tibi cymba vias.
Dixit, & in ventos nebulâ defecit odorâ,
Vt solet extincto pinea tela rogo.
Loïolidas Barretus adit; procurrit ad Indos,
Quà meta est, magnis meta petenda viris,
I, sequere exemplum, dubiâ ævi remus in undâ
Lentatur, nec quæ littera tangat, habes.
Vosque *b.* Duaceni MARIAE turba, Sodales
Pergite, & ad numeros flectite vela meos.
Vesper adest, summisq; cadunt de turribus umbræ:
Musa jubet curis otia danda tuis.
Ite ad Petrææ confinia sacra MARIAE;
Sat locus est castis cognitus ille procis.
Innumeri properant visuri sidus amantes,
Et vespertinę vota feruntur Heræ.

Finge

a. *Ioannes Nunnius Barretus animo fluctuans, à B. Virgine ad Societatem IESV in eaque labores tolerandos invitatur. Obijt Goa Patriarcha destinatus in Ethiopiam.*

b. *Extat Duaci in Belgio sacellum Deiparæ ad D. Petri ad quod passim adolescentes studiosi confluunt, quoties de eligendo statu deliberant.*

XXVIII. Finge quoque obscuro diffractis æquore malis
Turbine convolvi; quid tibi mentis erit?
Occurrent animo metuenda pericula molle:
Attamen his etiam liber abire potes.
Mitte precor longo servatum *a.* thesea filo:
Altera quæ tibi sit *b.* Gnossias, illud habet,
Atra *c.* Valencenam pestis corruperat auram,
Immunis tota vix erat urbe locus.
Funera densantur, plenis iterata sepulchis,
Servabat tutas vix prope cygnus aquas.
Curritur ad succos, augent contagia succi:
Quærenda est aliâ certa medela manu.
Mater adest, præbebit opem, promittit *d.* aruspex:
Servat monstrandis altera fila vijs.
Ergo ubi jam mediam fecit *e.* Latonia noctem,
In speculis cives sanus & ęger erant.
Cum subitò illustri dilutis æthere nimbis,
A summo Mater visa venire polo.
Anteibant hilares Genij manibusque ferebant
Licia purpurei qualia *f.* Seres habent.

Attigit

XXVIII. Vera Ariadne.

a. b. *Ariadne Minois regis filia, etiam Gnossias dicta à Gnosso orbe Creta: tradito filo hesea ex labyrintho eripuit, ubi à Minotauro devorandus erat, prout Poëta fabulantur.*

c. *Valencena urbs Belgij in Hannonibus, abducto mœnibus à B. Virgine filo, pestilentia liberatur.* P. d'Outreman Parte 1. Hist. cap. 8.

d. *Eremita hoc prædicit.*

e. *Luna à Latona matre.*

f. *Seres Scythia Asiatica populi, apud quos lana ex arboribus colligitur, unde sericum nere solent.*

Attigit ut terras, totam circumdedit urbem:
Accipit ad castas candida fila manus.
Retia dixisses muris obducta; sed illa
Non nisi terrendę retia pestis erant.
Ite boni cives Marianum assumite funem:
Ostendit vacuas funeris ille vias.
Nec te prętercam, Socijs adscripte, *a.* Goëze;
Et tibi quà fugeres fila Maria dedit.
Ecce Travan-coridæ relegis dum littora terræ,
Quam non sperabas, fert tibi littus opem.
Illic ara fuit deserto structa sacello:
Inque arâ rudibus picta tabella notis.
Virgo erat, & gremio Iesus consederat Infans
Huc properas, gemitus accipit ille tuos.
Exemplò pueri effigies (mirabile dictu)
Liquitur in lacrymas: lacryma funis erat.
Attrahor, exclamas: venio reus, exuo crimen:
Pœnitet insano vela dedisse Nóto.
Quò me Diva vocas, ultro sequor ipse vocantem:
Imperio cedunt ardua cuncta tuo.
Dixit, & abrumpens Paphiæ retinacula lenæ,
Syrtibus implexum cymba relegit iter.
I modò, Loïolidasque viros sectare, Goëze:
Spectabunt Indi, quæ tua facta canant.
Hic ubi constiteris, vel quò te duxerit aura XXIX.
Lenior, & certæ prævia signa viæ.
Spem cœli, votumque tene: navale carinis
Hoc aptum: pavidos excute corde metus.
Forsi-

XXIX. Promontorium bonę spei.

a. *Benedictus Goëz ex militia in Societatem IESV adscitus, mira apud Indos pro Christo tolerat & patat.* Litt. Ind. P. du Iarric.

Forsitan insurgent mixtis Aquilonibus Euri,
Et raucum in tumido gurgite murmur erit.
Hoc fine, tu Divae laudes cælebrare memento:
Illic securâ stat tibi puppis aquâ.

XXX. Maxima pars cœpti nunc est exhausta laboris;
Quod superest canus Cultor habebit opus.
Vt pueri primùm, juvenes modò dicite *a*. Pæan:
Instructa est Elegis utraque turba meis.
Interea donec redeant ad lintea venti,
Hîc sistet nostras anchora jacta rates.

LIBRI

XXX. Epilogus Libri.

a. *Pæan Hymnus erat in laudem Apollinis, Musarum præsidis apud Poëtas.*





LIBRI TERTII

ARGVMENTVM.

PRoponitur Tertio hoc Libro Exercitium DEIPARÆ, quod constantiam, atque adeò perseverantiam involvit. Ea propter reliquo vitæ spatio, quod ad senectam ipsumque obitum excurrit, jure hunc addiximus. Notum est vetus D. Hieronymi pronuntiatum, *Non spectari in Christianis initia, sed finem*: quod utique etiam in DEIPARÆ Cultu planè observandum est. Porrò cum primus in re qualibet impetus, ac fervor facilè languescat, nisi novis subinde ignibus ac stimulo incitetur: placuit hîc veluti Marianos quosdam Fastos conscribere, ut occurrentibus, per intervalla mensium Festis, ad eaque Exercitijs quibusdam accommodatis, novos æstus accipiat. Adieci ad calcem ea, quæ Parthenium Sodalem agere convenit extremo in mor-

morbo : ſimul B. VIRGINIS eo tempore in ſuos patrocinium ; poſtremum Mariani Clientis præmia in cœlo, æternamque felicitatem. De quibus ſequentem Periocham conſule.



PERIO-

PERIOCHA
Ejuſdem Libri.

XI. FVNE-

XI. FUNEBRIA, *sive Festum 7. Dolorum* B. VIRG. *quod Cistercienses Aprilis mense celebrant.*

* *Stationes 7. dolorum* B. VIRGINIS.

XII. ACHANTICA, *sive Festum* B. VIRG. *ad Martyres: quod jussu Bonifacij IV. die* 13. *Maij celebrari cœptum est.* Mart. Rom.

* *Studium Mortificationis.*

XIII. EROTICA *sive Festum Cordis* DEIPARÆ VIRG. *quod primo Iunij à quibusdam colitur.*

* *Exercitium Amoris.*
* *Purificatio Cordis.*

XIV. VIATORIA *sive Festum Visitationis* B. VIRG. 2. *Iulij.*

* *Peregrinationes ad* DEIPARÆ *Sacella.*

XV. BASILICA *ac* TRIUMPHALIA *sive Festum Assumptionis* B. VIRG. 15. *Augusti.*

* *Dominæ vocabulum.*
* *Aurigatio.*

XVI. NATALITIA *ac* NOMINALIA *sive Festum Nativitatis* B. VIRG. 8. *Septembris.*

* *Marihymnium.*

XVII. SOSPITALIA *sive Festum* B. VIRG.

à Vi-

à *Victoria, Dominica prima Octobris.*

* *Tessera Mariana.*

XVIII. DONARIA *sive Festum Præsentationis* B. VIRG. 21. *Novembris.*

XIX. AGNALIA *sive festum Immaculatæ Conceptionis* B. VIRGINIS 8. *Decembris,*

XX. *Sodalis Mariani vita, bonæ mortis augurium.*

XXI. *Testamentum Sodalis Mariani.*

XXII. *Patientia in morbo.*

XXIII. *Quod* B. VIRGO *suis in morbo opituletur.*

XXIV. *Defendit in morte, & ad Dei tribunal Patronam se gerit.*

XXV. *Sepultura Clientis Mariani.*

XXVI. *Epitaphium.*

XXVII. B. VIRGO *Purgatorium mitigat.*

XXVIII. *Cliens Marianus excipitur.*

XXIX. *Status felicißimus Mariani Clientis in cœlo.*

XXX. *Epilogus totius Operis.*

IOANNIS VINCARTII GALLOBELGÆ INSVLANI E' SOCIETATE IESV DE

CVLTV DEIPARÆ

LIBER TERTIVS.

I. Vicimus, Insuleæ ter mecum plaudite Nymphæ.
Vicimus; infestę Cypridis æra silent.
a. Vecta per adversas, conchâ quæ venerat, undas,
Fugit & excussus vincula rupit olor.
Quid tibi nunc animi castris exute Cupido?
Ecquid maternis omnia perdis aquis?
Vidi Ego disjectas ponto fluitare sagittas,
Et sine nervo arcus, & sine luce faces.
Quisquis es, ah nimium properas: tua cymba per æquor
Fluctuat; & nondum quod peto, littus adest.
Non satis est cœpisse, viæ pars altera restat:
Scilicet ut validum tempore perstet opus.
,, Quid mihi vere novo ceratum mirere virentē?
,,Ni fruges fundat, stipes inanis erit.
,,Non

I. Materies hujus Libri, perseverantia in Cultu DEIPARÆ Virginis.

a. *Fingunt Poëtæ Venerem è mari ortam, conchâ marina navigare solitum, adiunctis ad proram oloribus.*

,,Non bene qui currit mediâ subsistit arenâ:
,,Vltima victricem meta coronat equum.
,, Adde quod ignavos in crimina vertimus annos:
,,Turpe est, dissimiles hic vir, & ille puer.
Ergo Mariani quisquis teris ęquora campi,
Perfer: nec cœptæ lucra relinque viæ.
Cultu opus est; cultis frondescens sepibus hortus II.
Sæpe laboratas exhibet arte feras.
Hic venatur aprum (buxo formatur uterque)
Et virides circum buxea signa canes.
Hoc prętant curę vigiles, & forficis usus,
Et nunquam pigra scalpra remissa manu.
Fac piger exculto custos indormiat horto:
Forma prior buxi, nil nisi buxus erit.
,,Quinetiam cultu retinentur corpora; multæ
,,Efficiunt studio ne videantur anus.
Ecquod crimen erit nitidas laudasse puellas?
Crede mihi, quiddam, quo doceamur, habent.
Consule quid faciant, tunc cum nova Sabbata lucent,
Et plenis adeunt publica festa vijs.
Induit hæc tunicam; candentes altera soccos:
Altera fontanâ membra lavatur aquâ.
,,Nec semel hoc fecisse juvat, labor exit in orbem:
,,Turpis in hesterno displicet ore color.
Quæ se hodie speculo cras fœmina comit eodem,
Et redhibet lapsas in statione comas.
Cur renuas hoc calle sequi? sic esse puellæ:
,,Assiduo cultu sæpe paratur Amor.

An

II. Quod Deiparæ cultus hanc perseverantiam exigit.

III. An tibi vis narrem quantùm ſocordia formæ
Detrahat, incœptis officiatve tuis?
Pone tibi *a.* Hermanum: DIVAE flagrabat amore,
Flagrat odorato qualis acerra foco.
Attamen ut menſes abeunt, moriuntur & anni:
Frigidus à primo factus amator erat.
Viderat hoc VIRGO, nec amat; damnabo tepentem,
Inquit: in aſpectu pœna futura meo eſt.
Nec mora, Virgineos confundit imagine vultus,
Et fuſcam inculto corpore ſumit anum.
Ruga genas, oculos inamabilis inſidet humor,
Par fronti velum, par quoque palla fuit.
Inde per obſcuram morienti lumine nubem,
Hermanni attonitos conſtitit ante pedes.
Hæſit in aſpectu juvenis ſimiliſque paventi
Reſtitit: & viſus talia verba loqui.
Tune mea es, VIRGO? quid VIRGINIS ora recondis?
Ah! facies oculos juſſa ferire meos?
Quid tibi cum rugis? quid cum nigredine formę?
Vita quid albentes colligit atra comas?
Hos habeant vultus, quas & ſua crimina fœdant:
Indignum rugâ VIRGINIS ora tegi.
Cui DIVA, illa ego ſum; videor ſi turpis amanti,
Has fronti rugas tu mihi ponis, ait.

Quam

III. Interruptio Mariani Cultus quantum noceat.

a. *B. Virgo in ſpecie habituq; vetulæ, videndam ſe offert B. Hermanno, ob teporem admiſſum in ſuo Cultu.*

Quam fervor retinet, corrumpit inertia formam;
Ipſeque quod damnas exigis autor opus.
Dixit, & ex oculis collectâ nube receſſit:
Solus in obſcuro reſtitit ipſe loco.
Nec lacrymas tenuêre oculi, nec pectora planctus:
Sępius adductâ pectora tonſa manu.
Credibile eſt dixiſſe ſibi: pete munus ab ipsâ,
Quam fœdas vultu, verbera digne pati.
Nec reor hoc fruſtra: torpens, *a.* Edmunde, fuiſti:
Punijt omiſſas pœna, dolorque preces.
Nempe toro fuſus neglectis turpiter hymnis,
Aut reus, aut certè lentus amator eras.
Vt fuerit, fuſcis ſomnus languentior alis
Venerat: in totâ lumina nulla domo.
Extemplò verſo ſonuerunt cardine poſtes;
Oſtiaque adductis increpuêre ſeris.
Territus evigilas: toto lux ecce cubili
Promicat; in mediâ luce magiſter erat.
Zebedidem ſpecies prodebat; cætera vultu
Durior: in digitis ulmea virga fuit.
Dum graditur, motas ferulâ ſtridente per auras,
Conſtitit ad lectum, deſidioſe, tuum.
Ecquid agis? dixit: quæ mentem oblivia vexant?
Heu! modò plectendos inter habende puer?
Siccine neglectos revocas ſingultibus hymnos?
Cedo manum, ferulæ ſentiat iſtud onus.
Ille nihil præter lacrymas, gemitumque profudit:
Et timor, & juſtus preſſerat ora pudor.

E Mox-

a. *S. Ioan. Evangeliſta B. Edmundo ferulam intentat ob ſolitas ad* DEIPARAM *preces ex torpôre & negligentia omiſſas.* Surius in vita,

Moxque moræ modicum: merui, nec deprecor, inquit?
Porrigimus jussas ad tua flagra manus.
Attamen exemplo, ne quid cultoribus obsim,
Fac memores culpę sint (precor) usque meæ.

IV. Hactenus: incœptis quò facta sequacia jungas,
Dicere propositæ nunc juvat artis opus.
Nuper ego (nec enim prohibemur fingere vates)
Quà prope sylvescunt rura, viator eram.
Occurrit senior, calatho collecta ferebat
Poma, & ad arsuros arida ligna focos.
Constitit ut propior, verbis suadentibus orat
Tecta suę subeam quantulacunque casæ.
Ingredior; conjux illic (quia tempus edendi)
Ignibus appositum fortè coquebat olus.
Filia parva foco stabat vicina rubenti,
Cui data maternis talia jussa modis.
Filia, digredior; curato luceat ignis:
Vtque sit, accenso ligna repone foco.
Pauca quid à parvâ pudeat didicisse colonâ,
Vtiliter curas instruit illa meas.
Scilicet ut sensim, flammis morientibus ignis;
Sic intermisso fomite languet Amor.

V. Tēpora si poscis, dabimus quoque: consule fastos
VIRGINIS; occurrent ad tua vota dies.
Nec

IV. Quis renovandi fervoris in Cultu DEIPARÆ modus servandus.

V. Initio anni DEIPARÆ Cultus renovandus.

Nec differre placet : cum promet *a.* Aquarius annum,
Et nova Phœbeos ad juga ducet equos.
Incipe cum primis studium revocare *b.* calendis;
Nec pigeat mores consuluisse tuos.
Forsitan illotę facient tibi crimina lunæ
Cultaque per nullas septima festa preces.
Forsitan & globuli (globulos manus ante ferebat)
Nunc trabe, ceu dignum puluere pendet onus.
Dicebas (memini) meminit quoque VIRGINIS ara,
Humida per lacrymas tunc quoque facta tuas.
O, mihi cœlestes inter nunc prima Patronos
DIVA, frequentatâ cujus in æde sumus.
Accipe me Genitrix, in quaslibet accipe leges:
Desertor nunquam, semper amator ero.
Ante vel à cultu parvâ quam dividar horâ;
Ante vel à membris dividar ipse meis.
Fas dixisse fuit : perierunt vota, tabellis
Excipias nomen: cætera ventus habet.
Degenerem madidi fecerunt gaudia pagi;
Forsitan & poto serior hora mero.
Quin agis & justo detergis crimina fletu?
Esse solet lapsâ mollior annus aquâ.

a. *Aquarius, sive urna, aut amphora, Zodiacĕ signū, Ianuario respondens, à quo annus incipit.*

b. *Calendæ primus dies mensis apud veteres, sic dictus, quod eo die vocato populo, ediceretur à Pontifice quot dies mensis haberet usq; ad Nonas. Calo enim antiquum verbum, à Græco καλῶ, idem est quod voco, appello.*

VI. An lubet ut veterum factus laudator avorum,
a. Depromam niveis condita mella cadis?
Hoc habuit b. Ianus quondam: modò lactea melli
Munera succedunt; auguriumque tenent.
Scilicet è cunis Infans, muscoque palustri
Redditus ad castæ brachia Matris erat.
Dum petit, & roseis premit ubera casta labellis;
E vivo lactis guttula fonte cadit.
Viderat hoc pastor, stantemque in cespite guttam
Colligit; hinc lactis tempora, dixit, erunt.
Auspicium dicti cupidos erexit amantes:
Venturi messis temporis illa fuit.
c. Bernardum specta, quem claræ vallibus umbræ,
Antraque præceptis erudiêre suis.

Forè

VI. Lac Deiparæ Calendis Ianuarijs pro strena.

a. *Ianuario mense, à quo Romani veteres, ut nunc, annum incipiebant, mella in strenam offerre mos erat, cuius causam attingit Ovid. 1. Fastorum.*

Omen ait causa est, ut res sapor ille sequatur,
Et peragat cœptum dulcis ut annus iter.

b. *Ianus à quo Ianuarius mensis, à Ianua dictus est, & bifrons idcirco à Poëtis habitus: cui cœli custodia, annique principium commissum est.*

c. *D. Bernardus Clarevallensis Abbas, ante Imaginem B. Virg. orans, eiusdem lacte irrigatur.*

Fortè precaturus ſacram tendebat in ędem,
Multa ſuper volvens VIRGINE caſtus amans.
Porticus eſt, *a.* Parijs longo ſubnixa columnis
Ordine, quà templi proxima valva patet.
Hac ibat Bernardus amans; cum fortè Parentis
Vidit in oppoſito candida ſigna loco.
Hæret in aſpectu: ſpecies delinit amantem;
Et plus quàm Saxum quod videatur, habet.
Ergo genu ſupplex madidis ter fertur ocellis,
Has animo tepidas elicuiſſe preces.
Da veniam, patiturque ſitis ſi fortè puelli,
Bernardo ſias ſic quoque Mater, ait.
Vix ea ter fatus (viſu mirabile) Saxum
Liquitur in niveas uberis inſtar aquas.
Iungitur amplexu, ſitientiaque applicat ora,
Et caſtam caſto proluit imbre ſitim.
Lacteus ex illo Bernardus tempore vixit:
Lactea mens illi, pectora, lingua, fides.
Quò purus ſias iſto te prolue fonte:
Virgineus damnat pectora nigra liquor.
Poſt tibi tranſactis conjux *a.* Tithonia *b.* Nonis
Prima coloratos ire jubebit equos.

 Odit

a. *Parius lapis aut marmor candidi coloris ſculpturæ aptiſſimum, ex Pario Troadis oppido iuxta Propontidem.*

b. *Tithonia Aurora à Tithono coniuge apud Poëtas.*

c. *Nonæ antiquis, & quidem Martio, Maio, Iunio & Octobri ſeptimus dies menſis erat: in reliquis verò quintus: dictæ autem ſunt Nonæ, quod ab eo die uſq; ad idus novem dies numerentur.*

Odit turba moras, *a.* Eoo curritur altro:
Bethlemæ causa est regia parva casæ.

VII. Hæc passim appellant solito *Regalia* more,
Vrgenda apposito non tamen illa mero.
Casta popinales odit Maria choreas,
Qualque vomit spurcos ebria lingua sales.
Templum manè petes, Regumque exempla secutus,
Portabis Dominæ munera parva tuæ.
* Thure, auroque carent altaria; lampas olivo
Sæpius: hanc myrrhæ substituisse decet.
Quid tibi si pictos frustretur serica limbos
Fascis? Virgineis aptior illa comis.
Aspicis ut proni veniunt ad basia Reges,
Et jacet ad teneros aurea mitra pedes?
Hic dextram attrectans, repetita dat oscula dextræ:
Ille pedem tangens, apprimit ore pedem.
Ah! quoties lacrymas inter dixêre puello,
Servitium fassis talia verba sonis!
Iam tua turba sumus, cœli puer; adijce nutum,
Ibit per jussas hæc tua turba vias.
Nec tamen à stabulo, quamvis procul ire jubebis,
Longius à stabulo noster abibit Amor.
Tu quoque Bethlemium cultu dignare puellum:
Rege salutato, prospera Mater erit.

a. Idi-

VII. Regalia sive Epiphaniæ Festum 6. Ianuarij.

* *Dorophoria.*

a. *Eous, sive matutinus ab* ἠώς, *quæ Græcis aurora est.*

a. Idibus exactis cum nona affulserit Eos, VIII.
Augebunt flammas altera festa tuas.
Plaudite, castus init DIVAE Sponsalia Ioseph:
Non sunt hæc Elegis prætereunda meis.
Da veniam, cœlestis Amor, Divique Choraulæ;
Dumque cano, nostræ plectra movete lyræ:
Iam prope ter quinos b. Iessæis viderat annos;
Legitimus thalami jura movebat c. Hymen.
Dicitur ad vocem Pudor extimuisse mariti,
Et subitò toris erubuisse genis.
Dum dubitat, quid agat: celeri trans aëra penna
Evolat, & summum fertur adisse Deum.
Fibula lucentem collegerat aurea pallam,
Et decor ambrosij candidus oris erat.
Quà volat aufugiunt nubes, aut lumine candent:
Vt fuscum scires esse quod odit opus.
Iamque volans summos cœli transiverat axes,
Cum tetigit superæ limina prima domus.
Excipit hunc Ales; mox inter lumina fusi,
Augusto propior cum stetit ille throno.

VIII. SPONSALITIA 22. Ianuarij.

a. *Idus mense Martio, Maio, Iunio & Octobri, dies est decimus quintus: in reliquis decimus tertius. Dictæ sunt autem ab antiquo verbo iduare, id est dividere, quod mensem in duas partes propemodum æquales dividere videantur.*

b. *Iessæis, Maria à Iesse Davidis parente, ex cuius stirpe erat.*

c. *Hymen sive Hymenæus, Deus nuptiarum præses antiquis habitus est: quem Liberi ac Veneris, sive Vraniæ filium dixere, & primum nuptiarum solennitatem instituisse.*

Numine adorato, passisque ad pectora palmis;
(forma fere qualis supplicis esse solet.)
Impetimur, Deus alme, inquit; nec inerte lacerto:
Nempe tuum Moses quid nisi robur habet.
Et mihi Nympha sacris penetralibus abdita templi;
Prima inter Nymphas solaque nomen habet.
Quid referam nomen? toto notissima cœlo est,
Delicium nostri Virgo Maria chori.
An nubat? nostris frustraque increverit ulnis?
Nec mihi quod sanxit fœdere servet Amor?
Si thalamum subeat, tibi quæ castissima quondam
Filia, quæ Nato postmodo Mater erit.
Dixerat hæc: plausit domus irradiantis Olympi,
Quæque aderat longis aurea turba choris.
Cum Deus, augusto vultu quo cuncta serenat,
Reddidit auditâ talia verba prece.
Ne metue, æthereis, Pudor optatissime, Nymphis
Quæ modò te, pariter me quoque cura tenet.
Servabit Maria fidem, titulumque pudicæ:
Tradita legitimo sit licet ipsa toro.
Cum jubeo, frigus vicino solvitur igni:
Cum jubeo, gelidas sustinet ille nives.
Pro sponso Iosephus erit; par stirpis utrique
Gloria, par animus, Virgineusque nitor.
Ite alacres Genij, festas succendite pinus,
Cantetur toto nuptaque virque solo.
Audierant, cœlique hylares per inania currunt:
Hic violas spargit nubibus, ille crocos.
Hi liquidas foculis fundunt fumantibus auras;
Illis festivum dextera pulsat ebur.

Emicat

Emicat ante alios gemmatis aureus alis,
Albaque pro vinclis lilia portat Amor.
Iam ſacra contigerant Solymæ loca, limine primo
Conſiſtunt, ipſas ſuſpiciuntque fores.
Scilicet hoc degit VIRGO caſtiſſima templo;
Ah! quantum ſummi Numinis inſtar habet!
Aurora interea ſacris indicta maritis,
Purpureum claro fuderat axe jubar.
Ieſſeïdæ veniunt thalamo matura juventus,
Inque illo IOSEPH agmine primus erat.
Cum ſubitò vernans, manibus quam fortè gerebat,
Dicitur apricas virga tuliſſe comas.
Mirantur cunctr, & tacito ſub pectore volvunt,
Inſolitâ ſceptrum quid ſibi fronde velit.
Protinus augurium captat dotale Sacerdos,
Iungitur & caſto caſta columba pari.
Sacra micant, feſtis reſonat concentibus ęther;
Quæ timuit, laudat vincla marita Pudor.
Nec modò ſic etiam VIRGO faſtidit amari: *
IOSEPHIS jungi pluribus illa cupit.
Sevocat *a.* Hermãnos: veniunt ad fœdus *b.* Alani:
Nec ſacer *c.* Edmundo vincla recuſat Hymen.
Ah! quoties Dominę ſecreto captus amore
Arſit, & has lepido fudit ab ore preces!

* *Annulorum geſtatio.*

a. *B. Virgo Hermannum initiis Sponſalitÿs, annulo ac Ioſephi nomine condecorat.*

b. *Idem præſtat Alano à Rupe Ord. S. Dominici.*

c. *B. Edmundus Mariam tradito Imagini eius annulo in ſponſam aſſumit.*

Accipe me, Genitrix, (Divae simulacra tenebat,
Inque suos aestus sollicitabat amans.)
Accipe me, Genitrix, pignus superaddimus, inquit:
Annulus articulos vinciat ille tuos.
Ille meos tecum sanctè testetur amores:
Et pactam ambobus nuntiet esse fidem.
Tortilis hinc auri plures sacer allicit usus,
Et venit ad castas gemma ferenda manus.
IX. a. Februus interea pluvios à sidere pisces
Advocat, & flaminis altera festa tuis.
Nempe ubi venturas referet lux proxima Nonas,
Hisque prior quartus lucifer ortus erit.
Purgatae colitur festum solemne Mariae,
Quod malè apud priscos nomen habebat avos.
Tunc bene succensis collucent atria taedis,
Quas priùs aspersâ Mysta piavit aquâ.
Festi causa subest Mater sponsusque, puerque:
Bethlemae quondam curia tota domus.
Templa petunt Solymae puer est sistendus ad aram;
Hoc Mosis ritus, Numinis ordo jubet:
Parvulus ad gremium Matris pendebat Iesus;
Vimineum castas rete fovebat aves.
Venerat ante senex; subeuntes ordine matres
Aspicit: in puero signa Tonantis erant.
Ignibus

IX. Luminaria sive Festum Purificationis B. Virg. 2. Februarij.

a. *Februa apud veteres festa erant expiatoria, sive reorum conscientijs sive Manibus adhiberentur. Inde Februarius mensis cui pro sidere pisces attributi.*

Ignibus ardet apex, fusâque ad pectora flammâ
 Materne lucent irradiantque comæ.
Protinus accurrit Simeon, puerumque prehensat,
 Nec tremit; è gerulo factus amator erat.
Ibimus, inquit; ades, puer optatissime terris,
 Ibimus; Infernas quid moror ire vias?
Dum loquitur, pupum strictis amplexibus effert,
 Nec teneræ renuunt oscula ferre genæ.
Exibant oculis lacrymæ, juvêre calorem:
 Vltimus accessu, maximus ille fuit.
Inde faces gerimus, tutum lustrante MARIA, *
 Quaque præit senior, carpe, Sodalis, iter.
Lumen amat VIRGO; votivæ munere ceræ
 Vtiliter nobis lucet, & ardet Amor.
a. Hac quondam Solymæ præijt sacer accola Sylvæ,
 Quà prope Iordanis ripa feritur aquis.
Hîc specus, inque specu MARIAE stabat imago;
 Solamen mœsti, perfugiumque senis.
Materies buxus, parvique toreumata cultri:
 Lenta salix reliquum vimine cingit opus.
Huic parvam senior solitus succendere tedam,
 Longinquum quoties ire parabat iter.
Da veniam, loca sacra peto, remeabimus, inquit:
 Polliciti testis fax erit illa mei.
Ibat, & accensâ durabant lumina cerâ,
 Quantumvis longas duceret ille moras.
 Sæpe

* *Cereorum usus.*

a. *Id narrat Sophronius in prato Spirituali de Ioanne Eremicola ad Iordanem fluvium.*

Sępe ferunt Divae memorem, tedæque relictæ,
Aut hos, aut similes ore dedisse sonos.
Vivis? an extremo lampas mea deficis igne?
Vivis, ait, nec te (suspicor) umbra tenet.
Sic dura; repetam post binos limina soles:
Grande morę prętium, munus amantis obis.
Ergo redux parvum postquam subijsset in antrum,
Hîc vbi Mariae pervigil ignis erat.
Ah! bellè est, inquit: flammâ tibi, ceree, fungi
Iam licet: ipse tuas corde subibo vices.
Nec mora, finito languebat cereus igne,
Transibatque senis versus ad ossa calor.
Hac tu parte subi, neu sis quoque luminis expers,
Constitue arsuras ad tua vota faces.
Institor umbrosæ fallentis lucra tabernæ
Exigit, & cæcos Virginis igne dolos.

X. Martius interea (quis credat) cinctus oliva
Belligero tantum nomine mensis adest.
Bella silent, pacem cœlo denuntiat Ales:
Accipit ætherium Virgo Tonantis Ave.
Neu dubites, pictus properans *a*. Caducifer alis,
Corporis in cultu symbola pacis habet.

Candida

X. Salvtatoria, sive Festum Annuntiationis Deiparæ 25. Martij.

a. Caducifer idem, quod Mercurius Deorum nuntius, à caduceo virga, quam gestare consueverat.

Candida frons, illi præcincti flore capilli;
Prætendunt niveæ lilia casta manus.
Dicta salus *Dominæ*, terras, cœlumq; serenat: *
Enervat stigiâ spicula torta manu.
Barbarus extiterat metuendo nomine latro
Dictus *a.* Abrox, quidam *b.* Limophoronta vocant.
Vivebat nigræ metus atque infamia Sylvę,
Quà dubium fecit sæpe viator iter.
Torva viro facies, tincti fuligine vultus:
Lumina per furvas sanguinolenta genas.
Longa illi spelunca domus, saltuque profundo
Abdita; vix ipsis invenienda feris.
Nigrior huic famulus; famulo celaverat hostem
c. Tartarus; Infernæ lixa paludis erat.
Quid non versavit, dominum qua perderet, hostis,
Aut quæ versandis, induit arma dolis!
Sępe necaturus primo surgebat Eoo;
At matutinum pręrediebat A V E.
Sæpe per obscuras* infestior irruit umbras:
Vespere dicta salus scuta latronis erant.
Quid modò centeñas texis si fortè salutes? *
Non habet ingratas fictio nostra moras.

Tem-

* *Salutatio Angelica quotidie recitanda.*
* *Rosarium.*

a.b. *Abrox & Limophoron nomen latronis, qui hîc describitur, fictitium.*
c. *Tartarus locus Infernalis à Græco ταράττω id est conturbo: quod illic omnia turbata sint.*

Tempus erat dubia cum pallent sidera luce;
Cum nec abest terris, nec tamen orta dies.
Ecce tibi *a*. Gusmaniades, trans luce nitentem
Æthera, quò nondum corpore, mente volat.
Curia se primo longè abscedentibus umbris
Obijcit, humano non adeunda pede.
Inde per abscessus, quales positi ordine longo
Apparent frutices, frondigerumque nemus,
Atria splendescunt longis spectanda theatris,
Innumeri circùm pennigerique micant.
Diva loci medio cum majestate sedebat,
Bisseno flavas sidere vincta comas.
Cum prior, ite leves: sertum mihi clara dedêre
Sidera; quod superest & mihi donet humus.
Dicta placent, terrasque petunt, volat æthere toto
Plumea gens; jussum Virginis urget opus.
Colligit hic violas, narcissos demetit alter:
Alter odorati mollia fila croci.
Sunt quos, caltha tenes; sunt quos, amaranthe, moraris,
Et nondum lapsis alba ligustra comis.
Libia pars, viridi pars altera portat hibisco
Nectendas filo multicolore rosas.
Viderat hoc Gabriel: ecquid fallimur? inquit;
Si modò cœlicolas error habere potest.
Non hæc serta petit Virgo, petit illa salutes:
Vnum præ cunctis floribus optat Ave.
Plausit Amor, calathumque ferens, cui viminis instar
Texuerat pandos bractea fulva sinus.

Obstu-

a. *S. Dominicus ex Regia Gusmanorum familia apud Hispanos, à quo Rosarij origo & propagatio.*

Obſtupuit lętos orantûm fulgere vultus,
  Verbaque in Elyſias tranſilijſſe roſas.
Colligit in certum & tenui ſubtemine nectens
  Permiſto niveum murice format opus.
Mox tibi ſtellatæ vidit ſuccedere mitræ,
  Nec minus hęc dominas ſerta decere comas.
Quam belle, exclamat ſua ſtat quoque gratia verbo,
  Et tellus, quo jam ſidera vincat habet.
Audierat Guſmaniades; hac ibimus, inquit:
  Sertaque MARIAE verba precantis erunt.
Hinc traxêre ſuum Mariana Roſaria nomen,
  Per nullas umquam decutienda nives.
Hos pueri flores, ſed & hos legitote puellæ:
  Nulla per hos dubium vipera celat iter.
Proxima ad Apriles redeunt cum feſta calendas, XI.
  Convenient lacrymis proxima feſta tuis.
Funebris ad mœſtos accedit tibia cantus,
  Deflentur magni triſtia fata DEI.
Nomina ſi quæras rectè *Funebria* dices:
  Nempe Parens, Natus tunc tibi flendus erit.
Aſpice *a*. Servitas, pręeunt: hos tegmine pullo
  DIVA Parentales juſſit habere dies.
Sunt & ſanguineas queîs purpura conſtruit aras:
  Attendunt leſſus utraque turba meos.

Eſt

XI. FVNEBRIA, ſive Feſtum 7. Dolorum B. VIRG. quod Ciſtercienſes Aprili menſe celebrant.

a. *Servitæ dicti Clientes Virginis, quos nigra veſte indutos, ſuiſq; doloribus conſecratos eſſe voluit.*

* Est quoque qui tabulâ septem lugente dolores,
Circuit, & mœstas gaudet inire vias.
Vtilis hic cultus, testes *a.* Deulleïdes undæ,
Bellica Lisanis *b.* Aria testis aquis.
Nuperque ad tales venit *c.* Bethunia ritus;
Non tantùm belli luctibus illa patet.
Hortor ut aut tedas, aut mœstę gaudia Matri
Dona feras; gratus sic quoque Cultor eris.
d. Mysta fuit, DIVAE lugens, lugentis amator,
Attamen ut lætam nosset amator erat.
Languebat moriens; terretur Iudicis umbra:
(Et terrere pios hæc solet umbra viros.)
Adfuit, & pavidum VIRGO solata Clientem,
Narratur placidis exhilarasse modis.
Quid tibi cum gemitu? quid cum formidine pœnæ?
Assuetus lessos ante levare meos?
Reddo vicem; trepidis admisceo gaudia rebus;
Officij quondam pars fuit una tui.
Dixit, & oppositâ demulcens pectora palmâ,
Longiùs horrificos jussit abire metus.

Ille

* *Stationes 7. dolorum* B. VIRGINIS.

a. b. *Insula & Aria in D. Petri templi apud Belgas.*

c. *His accessit Bethunia, ubi eadem 7. dolorum stationes, in æde D. Bartholomæi erecta anno* 1645.

d. *Ecclesiasticus quidam solitus lugenti Virgini, gaudia eiusdem in memoriam revocare: ab eadem vicissim in morte solamen accipit.*

Ille renitenti similis, sequor, optima Mater,
  Inquit; & in medio fertur obisse sono.
Maius adest, nitidi mensis mollissimus anni; XII.
  Sentitur florum copia, Maius adest.
Quid tibi gratatis? Maio cave funera menso:
  Tempus idem menti, corporibusque nocet.
Nimirum mollem dum corpore presseris herbam,
  Cespite quo forsan sederis, anguis erit.
Dum spirant Zephyri, subsultat bucula campo:
  Ver animos laxat, frigida durat hyems.
Sed bene providit blando MARIA periclo,
  Prævenit vernas ad sua festa rosas
Nempe ubi jam decies Aurora exegerit umbras,
  Terque coloratis astra fugarit equis.
Candida purpurei venient ad sacra manipli,
  Inque rosâ Martyr sanguiholentus erit.
Hos sequere, & constans præbe ad certamina *
    pectus:
  Non facit ad palmas mollior umbra tuas.
Nec tamen hæc uno paraguntur prælia telo:
  Diversâ jussus quæritur arte dolor.
Sunt quos hirsutis contexta subucula villis
  Asperat, & nudum cingula dura latus.
Lora alijs, alijs veniunt ad flagra catenæ:
  Turbaque fit dextrâ sæpe cruenta suâ.

Novi

XII. ACHANTICA, sive Festum B.VIRGINIS ad Martyres: quod jussu Bonifacij IV. die 13. Maij celebrari cœptum est. *Mart. Rom.*

* *Studium Mortificationis.*

Novi ego qui saxis straverunt corpora; novi
Vrticâ implexis qui cubuêre toris.
Quid reliquas memorem cruciandi corporis artes ?
Acer & ad pœnas ingeniosus Amor.
Aspera per, densósque rubos, quis crederet umquã
Elysias hominem carpere posse vias ?
Venerat ad thalamos Virgo a. Basilissa maritos:
Stridebat lætis tibia festa modis.
Heu ! quid agas , Iuliane ? sacro iurasse pudori
Diceris , & nuptam sic adijsse tuam.
Bruma riget , Basilissa , in te sunt tempora veris :
Conveniunt formę mollia regna tuæ.
Ecquid ut intrasti thalamos nova nupta jugales,
Divinus contra classica movit Amor ?
Ter felix, castos qui nos admiserit una,
Nunquam non castos exhibiturus Hymen !
Hinc tibi purpureo flores fundentur Olympo,
Et sua odoratus munera cedet Arabs.
Verba verecundæ pectus movêre puellæ,
Et toto impurus pectore cessit Amor.
Ergo pares animis, votisque ardentibus ambo,
Iuratâ stringunt vincula casta fide.
Pacta placent superis : Zephyrisque moventibus auram
Per thalamum vernus gliscere cœpit odor.
Nec desunt cantus, nec odoræ lumina tedæ ,
Lumina per longas visa micare vias.

Hinc

a. *SS. Iulianus & Basilissa prima nuptiarum nocte castitatem vovent : Inde cœlesti cantu & odore quasi rosarum recreantur*, Mart. Rom. 3. Ianuarij.

Hinc juvenes sponsum, niveæ sponsam inde puellæ,
Alternis celebrant, exhilarantque modis.
Ecce suum vatem Mater monet; alter amandi, XIII.
Et modus, & molli mollior arte subit.
,,Non semper pelagus violento currimus a.Euro:
Sæpe vehit magnas lenior aura rates.
Ergo ubi jam Maio mensis successerit alter,
Sparsaque cœlesti rore madebit humus.
Huc (precor) affusi turmatim ad festa Sodales,
Ferte coronato thura, merumque foco.
Nempe Mariani redeunt solemnia cordis:
Ecquid danda bono sunt bona verba die?
Aërias Genij gens plumea fusa per auras
Accelerant, pictis irradiantque togis.
Hos inter Gertruda fuit; cor amabile DIVÆ
Conspicit; ô! quantum Numinis instar habet!
Qualis flamma solet diluto effulgere vitro;
Materies cordis lucida talis erat.
Purus ab hoc triplici manabat tramite rivus,
Moxque iterum versis inde redibat aquis.
Ara fuit, tenui quam bractea texerat auro:
Fulgebant mixtis alba ligustra rosis.
Thura cremabat Amor; permixtisque ignibus ignis,
Thure vaporato, major Amoris erat.

Quin

XIII. EROTICA sive Festum Cordis DEIPARÆ VIRG. quod primo Iunij à quibusdam colitur.

a. *Eurus ventus est spirans ab ortu brumali, quem Latini Vulturnum appellant.*

*Quin agis, & sacras cor purum sistis ad aras?
Hostia Virgineis convenit illa focis.
Incipe clare cliens, puraque in veste sacerdos,
Effer solemnes, ore precante, modos.
DIVA triumphato quæ vivis amabilis orbe,
En prędæ (dices) pars ego parva tuæ.
Quid voveam? tibi servit humus, tibi militat æther;
Et metuunt domiti cęrula vasta maris.
Quid voveam? nisi quo cœlum, terra ardeat igne?
Sentiat & flammas orbis uterque tuas!
Atque utinam summo quot lucent sidera cœlo;
Quot Sylvæ frondes, gramina campus habet;
Tot mihi corda forent! tot corda ignita tenenti,
Flamma minor votis ureret illa meis.
*Forsitan at veteri sordent præcordia culpâ,
Nec suus est animo, qui fuit ante, color.
Mater habet fontes; maternas quærere lymphas
Cura sit; exemplum a. Ripa lavantis erit.
Fœda illi mentem fuscabant nubila: sæpe
Idalium dixit (non placet) estis opus.
Sæpe querebatur, quando gemebundus ab imo
Pectore, sic cœpit flebilis ore loqui.
Impetimur, Mater; præcordia sulphure fumant:
Obruat impuros lacryma casta rogos.

Hos

* *Exercitium Amoris.*

* *Purificatio Cordis.*

a. *B. Ripa Ordinis Minorum S. Franc. cum impuris cogitationibus æstuaret, per merita lacrymarũ & dolorum B. Virginis puritatem cordis obtinet.* Vide Chronicon Minorum.

Hos dolor adijciat fontes tua pectora quondam
  Qui tenuit, castas imbre rigante genas.
Finierat, tenui VIRGO spectabilis aurâ,
  Attonitos Ripę constitit ante pedes:
Læta videbatur; non qualem, Ripa, vocabas:
  Aurea cæsaries, aurea vestis erat.
Fit propior, stupet ille pavens: dubiusque videre
  Quod videt; ambiguo statque, fugitque metu.
Tum DIVA, ecquid agis? quid me fugis, inscie? dixit,
  Illa, ego sum votis, Ripa, petita tuis.
Dignatur dextrâ: præcordia qualia poscis,
  Certa fides verbo, (tangimus) inquit, habe.
Nulla mora est, Paphiâ turpis cum matre Cupido
  Pectoris obsessos deseruêre sinus.
Iulius interea maturis flavus aristis, XIV.
  Sacra peregrinæ festa reducit Herę.
Carpit iter VIRGO: cognatę occurrit a. Elizæ:
  Oscula commissis dantque feruntque genis.
Et prior hæc (clausum cognatæ in viscere Numen
  Senserat) unde mihi Maxima Mater ades?
Numine fœta venis; nostrâ puer exilit alvo,
  Et queritur tardas partubus esse moras.
Perge, adytus sic vise sacros, Mariane Sodalis, *
  Quæ reddas DIVAE pensa viator habes.
Neu

XIV. VIATORIA sive Festum Visitationis B. VIRG. 2. Iulij.

* *Peregrinationes ad* DEIPARÆ *Sacella.*

a. *Eliza, idem quod Elizabetha Zacharia uxor Ioannis Baptistæ mater, Maria cognata.*

Neu verbo desis, neu fors oblivia serpant,
Discat maternas filia parva vias.
Attamen & modus est quidam servandus eundo,
Quò præit incessu Diva, sequenda præit.
Turpe sacrum dum carpis iter nescisse silere:
Multa silens tacito pectore versat amans.
Si via sermonem patitur, comitesque requirunt;
Eliciant primos templa petita sonos.
Fortè per umbrosos (ut sunt consinia) saltus
Nobilis ad a. Tongros Hanno viator erat.
Imus, ait, quò vota trahunt, quò dicitur olim
Aliger aëriâ plurimus isse viâ.
Nempe ubi nunc colitur Tongrensis Diva, salictum,
Et paucæ pecudes, arbor & herba fuit.
Mox tibi Diva suam fecit viridaria sedem,
Et cultum, & nomen cœpit habere locus.
Casta relucebant sacratis Februa tedis,
Fecerat & medium Cynthia noctis iter.
Ecce novis subitò circùm fulgoribus aër
Canduit, & festos reddidit aura sonos.
Audierat cantum vicini serva coloni,
Hæc domino: mystæ protinus ille refert.
Accurrunt, salici spectant hærentia signa:
Cœlesti flammâ lucidus hortus erat.
Quid, quod dicuntur Genij resonantibus hymnis
Apta per aërias saxa tulisse vias.

Suppri-

a. *B. Virgo Tongrensis, sic dicta ab ipso loco & pago apud Athum Hannoniæ oppidum: cuius prima origo hîc describitur.* Vide Calendarium Mar. 2. Februarij.

Supprime fama loquax quos vate *a*. Amphione muros
  Erigis : antiquo verius istud opus.
Nec minor est virtus, quàm visere templa, reverti :
  Incessus reducis, sicut euntis erit.
Nec tibi præcipiam madidis hęrere popinis :
  Sæpe quod acquiris, destruit ille locus.
Fallor? an ęra sonant? cœli capitolia XV.
  Scandit, & alatis æthera carpit equis.
Sat pœnæ, lacrymisque datum : petat æthera Mater
  Natus ait ; templo gaudeat illa meo.
Dixerat: à summis confestim nubibus Ales
  Mittitur? in dextrâ lucida palma fuit.
Ille volat, liquido ceu candens cygnus olympo
  Ad virides pennâ præpete fertur aquas.
Vtque fores subijt, Vicinior adstitit ægræ ;
  Et blando cœpit sic prior ore loqui.
Imber ijt, ventique, tene suspiria, Mater :
  Humida sat lacrymis vota fuêre tuis.
Quod poscis, legesque volunt, nec respuit æther:
  Munus habe cœlum, palma futura tua est,
Illa manu palmam venturi certa triumphi
  Signa gerit : species hæc morientis erat.
Quid

XV. BASILICA ac TRIVMPHALIA sive Festum Assumptionis B. VIRGINIS 15. Augusti.

a. *Amphion Mercurij filius, canendi arte peritissimus: quem Poëta quod homines cantu suo alliceret Thebanæ urbis muros condidisse dictus est.*

Quid referam plausus, longęq; insignia pompæ?
Deficit hoc uno mensque manusque loco.
Ad propiora vocor, quo sit Regina colenda
Officio, numeris hoc quoque disce meis.
* Fac *Dominam* appelles, aut si tibi nobile castrum,
Fac præsit: titulos auferat illa tuos.
a. Hungarus hoc fecit; jam Regia conditur
b. Alba,
Virgineas inter connumeranda domos.
Quod MARIAM alij, *Dominam* vocat Hungarus: illo
Signa micant titulo, claraque scuta Ducum.
Barbare quid rides exutum nomine Regem?
Plus est quod magnę servus habetur Heræ.
Sunt qui mancipij testes didicêre catenas
Induere, & loris brachia vincta suis.
Elige quod placeat; nec te dare serta MARIAE
Florea purpureos pœniteatve crocos.
* In tenui labor hic; velis majoribus itur
Regali quoties munere pompa venit.
c. Fregerat oppositis VIRGO agmina barbara signis,
Impia Sacrilegus tinxerat arva cruor.

Vici-

* *Dominæ vocabulum.*

* *Aurigatio.*

a. *B. Stephanus primus Hungariæ Rex B. Virginē, cui regnum cōsecrat, Dominam appellari iubet.*

b. *Alba Regalis, in eaq; magnificum* DEIPARAE *templum conditur.*

c. *Ioannes Zemisces Imperator Oriētis, reportatā de hostibus victoria,* DEIPARAE *effigiē currui triumphali impositam circumduci iubet: Idem fecisse dicitur Ioannes Comnenus Imperator.*

Vicimus ut causâ, justis quoque vicimus armis,
  Inquit: & augustum Cæsar adornat opus.
Ergo triumphales instrato murice currus
  Apparat, & variâ longa theatra viâ.
Aurea purpureas prætendunt esseda lanas:
  Aurea quadrijugis fręna teruntur equis.
Aspicias mixtos fractis thoracibus enses,
  Raptaque victrici barbara signa manu.
DIVA super stabat, Cæsar jubet: anteit ipse
  Ductor, & auricomos aureus urget equos.
Ponè catenati curvis cervicibus hostes,
  Invito subdunt colla premenda jugo.
Viderat hoc aliquis, quid frendes, Barbare, dixit:
  In me, quod tentas demere, transfer onus.
Dum loquor, autumnus maturas percoquit uvas, XVI.
  Accepto fumant dolia rubra mero.
Sume lyram, tenta vocales pollice chordas:
  Convenit obsequijs barbitos icta tuis.
Tertia Septembris cum terris Cynthia Nonas
  Exiget: à cœlo (respice) plausus erit.
Natalem DIVAE celebrat concentibus æther:
  Hoc didicit senior, nec meminisse piget.
a. Fortè sub umbrosis, ut sederat accola Sylvis
  Servabat modicæ limina parva domus.

F Hunc

XVI. NATALIA ac NOMINALIA sive Festum Nativitatis B. VIRG. 8. Septembris.

a. *Nativitas B. VIRG. 8. Septembris, cuidam Eremitæ per Angelorum cantum revelatur.*

Hunc solitum memorant noctes vigilare; diuque
Sideribus fusas continuare preces.
Ecce tibi subitò dulci Symphonia cantu
Aëra permulcet; causaque vera latet.
Haud procul (ut referunt) crepitantis gurgite lymphę,
Saxa per & scrupos advena rivus erat.
Explorat, faciatne sonum, quem percipit aure:
Currentis lymphæ non erat ille sonus.
Ah! quoties strepero fecit convitia rivo!
Et dixit, turbas, rive, quod astra movent!
Dum stupet; augetur vicino musica plectro:
Fallor? an Angelicę personuêre lyræ?
Personuêre lyrę: nascentis tempora Divae
Debuerant istis emicuisse sonis.
Utile nascenti sic plaudere: rumpitur anguis
,,Carmine; cantando sæpe paratur Amor.
* a. Consule Bertinis quid quondam Ioscio septis
Egerit, exemplum, quo docearis, habes.
b. Iesseïdę quinos numeris aptaverat hymnos,
Formaque Mariae littera quina fuit.
Hos pangit, croceo quoties sol surgit Olympo:
Hos pangit, lassas cum lavat amne rotas.
Sæpe ferunt Stygium, cum Ioscio pangeret, hostem
Acriter auditis infremuisse modis.

Fata

* *Marihymnium.*

a. *B. Ioscio Asceta Bertinianus Audomaropoli, solitus in honorem B. Virg. 5. psalmos quotidie recitare: post obitum quinque rosis nomine Mariæ inscriptis innotescit.*

b. *Iesseïdes David à Iesse patre.*

Fata propinquabant; nec sic tacuisse precando:
Dicitur; extremo funere cantat olor.
Quid, quod nec gelido ferrur siluisse sepulcro,
MARIA inscriptas ossa dedêre rosas.
Naribus has, illas oculis, hanc ore ferebat:
Spirat odor vernæ, qui solet esse, rosæ.
Forsitan hoc aliquis flores miratus in horto,
Inscripsit tumulo. Ioscio cultor erat.
Sed repetamus iter: venturis proxima Nonis XVII.
Lucet Eos: orbem sospitat ille dies.
Seu rota, seu madidus te devehat æquore linter,
Quid metuis? tutas tunc licet ire vias.
a. Vela dabant Turcæ pictis horrentia lunis,
Innumeris stratum puppibus æquor erat.
Captiva adductos urgebant brachia remos:
Quàm vellent motu tunc caruisse suo!
Idem qui puppes, perturbant funera venti:
Finitimis instat fama, timorque locis.
Iam Cyprum hostis habet; trepidat Corcyra, Samosque,
Et circùm Ionij littora curva maris.
Parte aliâ Venetæ properant, Latiæque triremes,
Victrix Austriaco classis itura duce.
Quid tibi vis narrem? proludunt æquora pugnæ,
Horridior solito mugijt unda sono.

XVII. SOSPITALIA sive Festum B. VIRGINIS à Victoria, Dominica prima Octobris.

a. *Accidit hæc victoria 7. Octobris Ioanni Austriaco Duce ad Echinadas Insulas vulgo* Lepante, *anno* 1571. *Festum instituit* PIVS V,

Mox ubi certamen primis subière carinis,
Fit fragor, & mixtis vocibus æra fremunt.
Pugnat Iber, Diva qve hostem terrente fatigat,
Stabant pro signis jusque, piumque suis.
Extemplò tonitru, fumumque vehentibus Euris
Sęvit in adversas ærea grando rates.
Effractæ tumido subsidunt æquore naves.:
Quid mirum? pondus criminis intus erat.
Turcigenûm pars fassa globo, pars naufraga, rubras
Quas fuso fecit sanguine, potat aquas.
I, modò carpe fretum cornutis, Barbare, signis,
Quos gemat, extinctos natus habebit avos.
* Stant quoque Virgineis fulgentia limina signis:
Hac Belgæ *a*. Isacidum parte sequuntur opus.
Regnabat Pharao, gentiquę offensus Abramæ,
Augebat duram Barbarus auctor onus.
Sæpe Devs populum summis spectarat ab astris:
Audierat fusas sæpius aure preces.
Cum Mosen properare jubet: deludimur, inquit:
Durescit Pharao, pœna novanda mihi est.
Ergo ubi luna quater, deciesque illuxerat orbi,
Fatalis Phario funere vesper erit.
Isacidis Agnus mactabitur; inde cruore
Tincta gerent rubras ostia cuncta notas.

Iussa

* *Tessera Mariana.*

a. *Isacida Hebrai ab Isaac*. Vide Histor. Exod. 12. *ubi domus, qua sanguine agni tincta erant ab Angelo exterminatore prætereuntur.*

Iussa obeunt, agni tingunt de sanguine postes,
Condere jam clarum sole parante jubar.
Nox aderat, multis non exhibitura sequentem:
Vindex *a.* Niliacos Ales obibat agros.
In dextrâ ferrum est, quod nigrâ texerat umbrâ;
Vibrarent ne quas lucida tela faces.
Iamque silens medias Latonia fecerat umbras:
Nube tamen vultus texerat illa suos.
Extemplò mixtis morientûm exurgere clamor:
Quodque putant omnes, quodque verentur, erat.
Nempe prius gravidam quidquid secreverat alvum,
Seu bos, seu validę corpore pullus equæ.
Seu puer in stipula, seu strato fultus eburno,
Sanguineâ madidam mole premebat humum.
Isacidæ tinctas agni de sanguine vulvas,
Securique domus interiora tenent.
Quid referam planctus matrum? Tithonia nunquam,
Tam madidis solis nuntia fulsit equis.
Fecerat hoc Ales, parebat sanguine tinctis.
Postibus; hæc certæ signa salutis erant,
Vt cruor Hebiæos prisco servaverit ævo,
Et servare suos VIRGINIS umbra potest.
Aspice ut inscriptas discriminat *a.* Insula valvas?
Instruit ut cives *c.* Aria sancta suos.

a. Nilus Ægypti fluvius, quam loco pluviæ inundatione sua oblimat, fæcundatq́.
b. c. Insulenses & Arienses ostijs domarum affixam habent DEIPARAE *imaginem: & illi quidem* CANCELLATAM, *hi* PANARIAM, *quas pro patrona venerantur.*

Cancellata illis, illis Panaria; servat
Vtraque signatos sospita Diva lares.
Scilicet hinc pestis totam grassata per urbem,
Sustinet; aut longas cogitur ire vias.
Qua ratione foràs quoquò pergentibus esse
Securis liceat, præteriturus eram.
Sit tibi Diva comes parvo gestata sigillo;
Tessera vecturas dirigit illa rotas.
*a.*Gheusia Belgiacas urbes turbarat *b.* Enyo:
Stridebant sævis omnia plena minis.
Error habet, cæcos agitat væsania cives;
Præcipites ferro, quà rapit ira, ruunt.
Quà sertum decuit dextrâ, funalia gestant:
Commiscent cineres sacra, profana suos.
Infremuit sceleri gens *c.* Croya; cedimus? inquit:
An contra hæc nostros pugna reducit avos?
,,Est aliquid pietas claris Natalibus orta:
,,Hæc titulum veræ Nobilitatis habet.
Dixit, & accinctum vultu conversus in ensem,
Vterer hoc, inquit; sed nova bella vocant.
Hostis pro roseis (Divae sunt serta) corollis
Tradidit infami signa ferenda *d.* scypho.

Stat

a. *Geusiorum factio pestilens in Belgio. Dicti Gallicè Gueux.*

b. *Enyo idem quod Bellona, soror Martis.*

c. *Philippus Croyus Arscoti Dux, affixo ad galeri limbum* Deiparae *Numismate aureo, Geusijs se opponit. Hinc sacrorum Numismatum toto orbe origo profecta.* Famianus Strada, de Bello Belg. lib. 5.

d. *Scyphi & calyculi, quales mendicantium, vestibus assuti, Geusiorum tessera.*

Stat Croyo delere notam: DIVAMQUE galero
  Assuit: hæc instar cassidis (inquit) erit.
Illâ noscentur fidi, noscentur & hostes:
  Qui bonus, exemplo sit bonus ille meo.
Dicta movent animos; crescunt imitamina facti;
  Et modò, quod cœpit Croyus, orbis habet.

XVIII.

Vertitur interea repetitis mensibus annus,
  Primaque nimbosa fronte recurrit hyems.
Ne noceant gelidæ redeuntia frigora brumæ,
  Cœlestis sumptâ lampade cavit Amor.
Festa November habet: quidam DONARIA dicunt:
  Principium festi parva MARIA fuit.
Trima erat, & Solymę Virguncula sistitur aræ:
  Gratior ad sacros hostia nulla focos.
Hanc Solymo quisquis templo conspexit, amavit:
  Effigies animi corpore major erat.
Quid, sua quod plures junxerunt munera Nymphę,
  Munificasque aris applicuêre manus?
Composito venit demissa Modestia vultu,
  Ingenuo castas picta pudore genas.
Hinc antiqua Fides, humeros induta fluenti
  Syrmate, velatis prodijt alba comis.
Relligio niveas gestabat pura columbas,
  Paucaque in accensos thura ferenda focos.
Prævius obsequio formosas ordine Nymphas,
  Ducebat lauro tempora vinctus Amor.
Hoc age tu quisquis Marianis dona sacellis
  Colligis: hac læta est arte MARIA coli.

XVIII. DONARIA sive Festum Præsentationis B. VIRGINIS 21. Novembris.

Munera fer, longo nunc serica suppara velo?
 Nunc serta augustas implicitura comas.
Si desit quod amas, & opes fortuna negarit:
 Pars erit officij vota dedisse tui.
XIX. Dum loquor, & tacito volvuntur tempora cursu;
 Vltimus à primo mense December adest.
Quàm nivibus, festi tam puro lumine candet:
 O! desiderijs candida Festa meis!
Nomina si quæras; poterunt Agnalia dici,
 Concipitur profugis scilicet agna lupis.
Crescat, & hæc olim pariat mortalibus agnum!
 Non alia est voto tradita summa meo.
Hinc accerse nives puri quæsitor amoris;
 Non facit ad canos instita nigra dies.
a. Venerat Ilfonsus Mariae vota daturus:
 Dissimili tunicâ corpore tectus erat.
Casta superjecti velabant corpora panni,
 Queîs niger & jussus venerat arte color.
Ecce tibi obscurâ dum fortè sacraria nocte
 Obsidet, & vigiles procubat ante focos.
Visa per æthereaṁ nubes dilutior auram:
 Inque aurâ Divae vultus euntis erat.
In manibus vestis candore simillima cygno,
 Quam (puto) formoso pollice nerat Amor.
Tra-

XIX. Agnalia sive Festum Immâculátæ Conceptionîs B. Virginis 8. Decembris.

a. *Sanctus Ildefonsus Archiepiscopus Toletanus vestem accipit à B. Virgine coloris candidissimi, quam diebus solennioribus induere solebat.* P. Mariana de Rebus Hispaniæ cap. 11.

Tradidit hanc, Ilfonse, tibi: redamaberis, inquit:
 Auspicium dicti candida vestis habet.
Vtere, parque animo, nec dispar corpore cultor,
 Inque meos adytus, ad mea sacra veni.
Quis vetat Ilfonso cupidis succedere votis?
 Nempe per hæc castus sæpe probatur amans.
Proderit & menti puras inducere formas;
 Queîs DIVAE sacrâ pingitur arte nitor.
Finge tibi speculum: veniat sine felle columba:
 Nunc Gedeum vellus nunc Salomonis ebur.
Montibus Alpinis candet lepus accola, currit
 Per canas quoniam sæpius ille nives.
Annus habet finem: referunt sua sidera menses: XX.
 Traditur hîc Elegis ultima meta meis.
Arte meâ docui Marianas ducere fusos:
 Evolüisse meę non minus artis erit.
Pone metum, placidæ, Cultor dilecte, MARIAE,
 Tutrix ad summos permanet illa rogos.
,,Vltima succedunt primis; servantur odores:
 ,,Et suus est auro, qui fuit ante, color.
,,Per loca quæ longè sinuoso gurgite transit,
 ,,Colligit imbutas ultimus amnis aquas.
Sic tibi per cultos Marianis legibus annos,
 Adveniet fausto cana senecta pede.
Ante tamen summam a. Lachesis quàm neverit horam,
 Ne quâ deficias parte, docendus eris.

XX. Sodalis Mariani vita, bonę mortis augurium.

a. *Lachesis una ex tribus Parcis, quę vitam hominum nere dictę sunt à Poëtis, ut supra lib. I.*

XXI. Consultum citò quàm possis cudisse tabellas:
Non est extremi temporis illud opus.
Rescindi hoc ipso curabis jurgia libro,
Hoc primùm; & quidquid semina litis alit.
Exin charorum dum scribes nomina, teque
Fac *Domina* memorem testificere tuæ.
Lampadis arsuræ, (dices) tibi, Mater, olivum
Ponimus; aspectus luceat ante tuos.
Hoc referent inopes formâ præstante puellæ,
Ne vitio pateant, dos ea murus erit.
Illeque, & ille senes (& erunt quæ nomina ponas)
Astabunt justis cum stipe turba meis.
Cætera prætereo; quid enim per singula vadam?
Pleraque judicio sunt statuenda tuo.

XXII. Inde feres morbum, nostrâque medeberis arte:
,,Nam mala leniri carmine sæpe solent.
Quid, quod & accedet morbo Maria ferendo,
Quique tuo fortis pectore crevit Amor?
Dicitur a. Austriades, quem raptum Belgia luget,
Extremum fati sic subiisse diem.
Scilicet Hispanis dum cingitur Aria castris,
Et patitur longas obsidione moras,
Cœperat hunc febris: sisti jubet ergo Mariæ
Effigiem; ante oculos sistitur illa suos.
Crescit Amor visu, pariter fiducia crescit;
At mala purpureum Parca premebat opus.
Mem-

XXI. Testamentum Sodalis Mariani.
XXII. Patientia in morbo.

a. *Ferdinandus Austriacus Card. Hispaniarum Infans ac Belgij Gubernator, ad conspectum* Deiparae *Sylvæducensis animum firmat, feliciterq; emoritur.*

Membra labant, ſtabat major tamen ipſe periclo,
(Auſtriacis virtus qualis ineſſe ſolet.)
Ergo actum eſt, Genitrix : ergo defungimur ? inquit :
Vt lubet, at vixi, qualis, & uſque tuus.
a. Debeo prima tibi, debebimus ultima Mater;
Sic melior cœpti finis amoris erit.
Deſijt in lacrymis; lacrymæ decuêre cadentem:
Venturi fauſtum funeris omen erant.
Profuit & multis injecta roſaria collo;
Aut defecturâ ſuſtinuiſſe manu.
Oſcula nunc teneris fixiſſe tenacia plantis:
Nunc ſigna applicito preſſa fovere ſinu.
Nec vacat officijs VIRGO, cum fata propinquant XXIII.
Sollicitam confert ſedula Mater opem.
b. Ægra jacebat amans (teſtes eſtote Nivellæ)
Aſſedit viduo protinus illa toro.
Quin tenui fertur ventos moviſſe flabello,
Pulvinarque ſuâ compoſuiſſe manu.
Quid tibi vis, c. Fulberte, canam ? terreris ab æſtu :
Permittunt modicas vix tibi labra preces.

Cur-

XXIII. Quod B. VIRGO ſuis in morbo opituletur.

a. *Adhuc puer B. Virg. ope ex periculoſo morbo convaleſcit.*

b. *Sentit iſtud devota vidua in VVillembrochio pago prope Nivellas Brabantiæ Oppidum.* In vitâ B. Mariæ Oignacenſis lib. 1 cap. 3.

c. *Fulbertus febricitans lacte Virgineo refrigeratur Baron. an.* 1028.

Curre puer, gelidas Fulberto congere lymphas:
Torridus irrigui munere fontis eget.
Audierat MARIA, sitim sedabimus, inquit:
Tradidit & mammę lactea pocla suæ.
Nec mihi, *a*. Kostkiade, versu indonatus abibis:
Eger es, at properâ restituendus ope.
Quid metuis Stygios latrantia spectra molossos?
Auxilio species proxima matris adest.
Rescidit hæc nubem, IESVMQVE infudit amanti;
Parvulus in parvo restitit ille toro.
Moxque (reor) matrem aspiciens, non abnuo, dixit,
In casto Kostkæ delituisse sinu.
Spectra abeunt, trepido sed enim suspenderat agnum
Pectore; Tartareos, exigit ille metus.
Fac similis crebrò sors accidat, irruet ęgro
Sanus, & infirmo nolet abire toro.

XXIV. Major inest ægris venturi judicis horror:
Componit trepidos hac quoque parte reos.
b. Vlphonidem specta: propero quid funere dices
Occidis? heu fatis invida Parca tuis!
Audierat Birgitta parens, luxisse putatur,
Exitus incertam, sollicitamque tenet.
„Scilicet hostili non tantùm pectora ferro;
„Læduntur telis sępe, Cupido, tuis.
Iusta parat, positi fumant altaribus ignes:
Funebris oblatas accipit ara preces.

In-

XXIV. Defendit in morte, & ad Dei tribunal Patronam se gerit.

a. *P. Sacchinus in vita.*
b. *Carolus Vlphonis & Brigitta filius.*

Interea clauso secum Birgitta cubili,
Anxia de nati funere mater erat.
Cum subitò ante oculos nebulâ secretus opacâ
Adstitit, & visus talia verba loqui.
Viximus, ah, mater, sed nunc quoque vivimus, inquit:
Quid belli sortem, quid mea fata gemis?
Illa gravi luctu, dubioque soluta timore
Gaudeo; fata tamen quis tua rexit, ait.
Carolus extento demonstrans indice DIVAM,
Quà propior mensę picta tabella fuit.
Illa mei, dixit, pręses tutissima fati
Adfuit; angores sustulit illa meos.
Infremuêre lupi, circumque cubilia tygres,
Exclusus foribus scilicet hostis erat.
Spiritus interea gelido prope deficit ore,
Funereas jam jam promptus adire vias.
Excipit hunc VIRGO: Stygij fremuêre molossi:
At risit vanas fortior illa minas.
Venimus ad Superos: fulgens adamante tribunal
Occurrit, miseris septa timenda reis.
Attamen ut subijt; vultu quo cuncta, Tonantem
Detinet, & cunctos jussit abesse metus.
Turbidus egreditur Satanas, prædamq; relinquit:
Liber ad æthereas transferor inde plagas.
Dixit, & in tenuem sublucens desijt auram:
Nec cor Birgittæ lucis inane fuit.
Quid modò mansuri superest si cura sepulcri XXV.
Hæc etiam multos ultima cura tenet.
Elige quo recubes sub marmore, DIVA sacellis
Præsidet, his certè molliùs ossa cubant.
Quin

XXV. Sepultura Clientis Mariani.

Quin Mariana etiam rigidis superaddita mēbris
Signa, triumphati funeris omen habent.
Hac *a.* Heduïca præit: summam imperterrita luctam
Sustinet; in dextrâ signa Parentis erant.
Hęc retinet moriens, certumq; inferre sepulchro;
Sic tota in cineres non abitura suos.
Nec spes vana fuit; digitos quos tangit Imago,
Servat; funereus cætera puluis erat.

XXVI. Quid modò si nomen supremo inscribere Saxo,
Et tumulo invisas quæris habere notas?
Concipe quod placeat, vel quod tibi cuderit alter:
Sin minùs, hoc scriptum marmore carmen erit.
MARIÆ vixi: DIVAM sapienter amavi:
Ossa tegit tellus; cætera Mater habet.

XXVII Fallor? an obscuris erramus quando sepulchris,
Funerea incertis questibus antra gemunt?
Non patet astrorum cuivis via; sępe superstes
Invenit ultores noxa pianda rogos.
Temperat has Virgo flammas, incendia sedat:
Sedatur sparsâ qualiter ignis aquâ.
b. Stokiadę cape vestis opem, solatia portat:
Et restinguendis Sabbata prima locis.

Quid

XXVI. Epitaphium.
XXVII. B. Virgo Purgatorium mitigat.

a. *S. Hiduigis Ducissa Polonia moriens Imaginem* Deiparae *retinet, & cum ea sepelitur, nec digiti in Pulverem abeunt.*

b. *Scapulare Carmelitarum B. Simoni Stok à B. Virgine traditum, multos è purgatorio liberat, & primo à morte Sabbato.*

Quid memorem extincti lugubria fata a. Iodoci?
Quid, Sexti, lacrymas posthuma dona tuas?
Iunxerat hos ætas; nec erant contraria binis
Pectora, nec falso fœdere pacta fides.
Mors ubi sejunxit, raptum sibi luget amicum
Sextius, & querulo verberat astra sono.
Dum lacrymas, gemitusque ciet; levis umbra Iodoci
Advolat, & visa est talia verba queri.
Ecquid agis, Sexti? cur vanis fletibus urnam
Perpluis? in medijs destituisque rogis?
Eriperer, pro tot lacrymis si vota dedisses:
Hęccine sum curæ cura relicta tuæ?
Adde preces, lacrymasque tene: Maria revertet:
Tempora laxandis Manibus illa colit.
Ludimur? an purus contra resplenduit æther? XXVIII
Turbaque per liquidas emicat alba vias?
Aurea pompa venit, procul hinc, procul este profani:
Crebrescunt plausus, aurea pompa venit.
Antevolans viridi vinctus sua tempora lauro,
Ordinibus fusum dirigit agmen Amor.
Hinc illinc Genij Mariana Rosaria portant;
Cœlestis longo tramite spirat odor.
Aspice dilutas mixtis fulgoribus umbras,
Perque triumphales agmina fusa choros.
Astra petunt, saltusque super, vallesque relictas
Promicat ætheræ turba fidelis Heræ.
Iam

XXVIII. Cliens Marianus cœlo excipitur.

a. *Vide Dion. Carthusianum serm. 2. de Assumptione.*

Iam terram ex alto ſpectant, Scyllamque, Charybdimque:
En ut adhuc ſęvas utraque jactat aquas!
Parte aliâ aſſurgunt quà mixtæ nubibus Alpes,
Apparent celſis culmina ſacra jugis.
En Laureta domus, magnæ incunabula Divae,
Quà nullus Latio ſanctior orbe locus.
Mox ubi ſacratæ ſpectarunt mœnia Romę.
Templaque ſidereis æmula facta plagis.
Dixerunt plauſus inter; ſacra tecta, fovete
Servandum terris, Cœlitibuſque a. Caput.
Quamque animo mitis, ſcuto quoque geſtat olivam
Servet, & elatas pace remittat aquas.
Aëra tranſierant, & puræ lucida flammę
Iam ſpatia; inque oculis ſtellifer axis erat.
Extemplò limen circùm irradiantis Olimpi
Panditur; & longis turba ſtat alba vijs.
Illic Zebedides, illic Bernardus, Aquinas;
Caſtaque Virginei cætera turba chori.
Illic Loïolidę diſtinctis ordine palmis
Mutarant niveâ pallia nigra togâ.
Quid reliquos memorem? magnos *Chryſoſtomus* inter;
Acceſſit titulis ſcilicet ille meis.
Diva ſuper ſolium, gemmis auroque coruſcans
Enitet, & blandas fertque refertque notas.
Excipit amplexu venientes, oſcula figit:
Oſcula trans terras, trans mare digna peti.
Inde

a. Innocentium X. Pont. Max. *cuius inſignia columbam præferunt olivæ ramum deferentem: quod olim tempore diluvij pacis Symbolum extitit*; Gen. 8.

Inde per æthereas ſedes, quà ſe atria fundunt,
Itur in excurſus; omnia lumen habent.
Eſt ſpeculum, mediò latè aſpectabile cœlo, XXIX.
Per quod cernenti regia tota patet.
a Hoc DEUS eſt, illo licet abdita quæque tuéri;
Seu quod erit poſthac, ſive quod ante fuit.
Hoc ſpeculo MARIA ſuos, ut Mater, amantes
Erudit, antiquis exhilaratque notis.
Cerne, ait: (& cœli ſupremum Numen adora)
Tempus in aſpectu Numinis omne patet.
Ecce tibi gravidâ matris geſtatus in alvo,
Ante ortum, infelix, quam propè funus eras?
Aſpicis ut rapitur ferali tramite currus;
Vt malus admiſſos mulio cogit equos?
Impedij lapſum, ne bis morereris in illo:
Vtque ſalutiferis imbuereris aquis.
Dum tener in cunis vagis, ſuſpiria preſſi,
Et juſſi lacrymas parciùs ire tuas.
Inde puer, captaſque jocos; ſed provida cavi,
Ne fierent primo pectora fœda luto.
En dum vina petis, temulentior, improbus hoſtis
Vt tibi per cyathos inſidiator erat!
Credebas talem nimis, heu! male cautus amicam:
Perderet ut captam (reſpice) lena fuit.
Ecquid

XXIX. Status feliciſſimus Mariani Clientis in cœlo.

a. *Docent Theologi Beatos in Verbo tanquam ſpeculo quodam lucidiſſimo omnia intueri.*

Ecquid densato coguntur nubila cælo.
Turbidaque excussas devehit aura rates?
Fluctibus heu! periturus eras, nisi certa dedissem
Signa, capessendæ per loca tuta viæ.
Servatus quoties, quoties defensus ab hoste:
Nunc quoque quod cœlo vivis, id omne meum est.
Finierat Virgo; micuerunt atria tedis,
Et stetit ad plenas aurea turba vias.
Ante alios festivus Amor, pennâque renidens:
Vivat io Iesus, Divaque vivat, ait.
Moxque repercussâ summis laquearibus æde,
Reddidit acceptos curia læta sonos.
Permisti nuribusque viri, puerisque puellæ,
Alternas tangunt, increpitantque fides.
Quodque canunt, toto semper cantabitur ævo,
Dum polus, & vasti conditor orbis erit.
XXX. Attigimus portum, fessæ date serta carinæ,
Et canite emenso dulce celeusma mari.
Transijmus scopulos, metuenda ceraunia nautis;
Fracta Cupidineus perdidit arma puer.
Quis vetet Insuleæ spolia hæc affigere Divae!
Figimus; & versus altera dona duos.
Quas cernis sine luce faces, sine funibus arcum
Virgo *tenet, Paphij qua priùs hostis erant.*
Ite licet, iuvenes, nec vos subducite pugna;
Libera circumfert iam sua signa Pudor.
Forsan ad hæc lector, vati quoque plaudite, dicet:
Prævalet affectu, si minus arte valet.
Quidquid erit, Divae malim præconia pangat,
Perque Carafaeos ardua gesta duces.

Sci-

XXX. Epilogus totius Operis.

Scilicet hos Virtus, & Avorum lumina produnt;
Digna domus toto, quà patet, orbe coli.
Hoc erit a ad a. summos quæ quondam crevit honores,
Accrescit titulis non minor illa suis.
Viveret, ô utinam! nec b) Montmorantius odas,
Plectraque funereâ pressa teneret humo!
Polliciti memor ille sui, dignoque cothurno
Vrgeret sacrum nobilis auctor opus.
Vt fuerit promissa sequor, licet impare versu;
Non quævis altum Musa capessit iter.

Martia

a. (*Præter* CARAFAEORVM *decora & honores adeptos, quos supra lib.* I. *recensui, summum Ecclesiæ Pontificatum gessit* PAVLVS *IV. ex Ioanne Petro* CARAFA *Card. Theatino.*

b. *P. Franc. de Montmorency Soc. IESV, Poëta Origine, virtute & scriptis clarus, Odam edidit in Psal.* 44. *dicavitq.* PETRO-LOYSIO CARAFA, *ex Legatione Apostolica in Rheni limitem Romam revertenti, in cuius Propemptico, hæc habet.*

Vt redeas (voveo) fasto cum Numine Romam
Præmia laturus meritorum digna, LOYSI-
PETRE CARAFAEVS sanguis. Quam gratus in Vrbem,
Quàm prosper venies? quo te Romanus amore
Excipiet reducem pater, & quo Curia plausu,
O PAVLI rediviva (tui Gentilis) Imago?
En erit Heroo mihi fas quandoque cothurno,
Per populos vulgare tuæ præconia laudis.
Interea dum spe tantos attollor in orsus,
Hęc (sine) te numeris brevioribus Oda salutet.

Martia a. Parthenope, magnis domus alta
CARAFIS,
Ad sua quam fortem prælia gaudet Iber.
Antiquis (moneo) Majorum parce triumphis,
Ad plausus venient altera festa tuos.
Quemque cano; titulos extendere posset avitos,
Maius Romano si quid in orbe foret.
Vos terni interea Latium petitote libelli
Principibus claras, Præsulibusque domos.
Néve error vastâ properantibus accidat urbe:
(Nam proceres multos accipit iste locus)
b. Aspicite ad niveas ter ducto murice parmas:
Hęc loca submisso sunt adeunda pede.
Exiles quamvis, nec dignum PRINCIPE munus,
Excipiet facili, spero, CARAFA sinu.

FINIS.

APPRO-

a. *Parthenope una Sirenum, quæ eò delata, ubi, nunc Neapolis præclara urbs Campaniæ, eidem nomen suum indidit.*

b. *Carafeorum insignia sunt albentes lemnisci tres in puniceo scuti alueolo.*



APPROBATIO.

REvdi. P. IOANNIS VINCARTII Gallo-Belgæ Insulani Opusculum hoc Poëticum DE CVLTV DEIPARÆ preterquam varium & elegans, ita charactere ipso Ovidium exhibet, ut ex profano sacrum efficiat: atque adeò dignissimum quod in lucem exeat, & adolescentium manibus teratur, quo profligatâ impurâ Venere & Cupidine, castissimos ac salutiferos DEIPARÆ amores imbibant. Ita censeo Insulis die 29. Novembris 1647.

IOANNES PARENTIVS
Librorum Censor.

PRIVI-

PRIVILEGIVM.

EGo infrascriptus Societatis IESV in Gallo-Belgicâ Provincialis juxta Privilegium eidem Societati concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab ejusdem Societatis hominibus compositos absque Superioris permissione imprimant, facultatem do NICOLAO DE RACHE Typographo Insulensi, ut librum cui titulus, DE CVLTV DEIPARÆ A P. IOANNE VINCARTIO ejusdem Societatis compositum ad sex annos proximos imprimere & liberè distrahere possit. Datum Duaci 1. Decembris 1647.

HVBERTVS WILTHEIM.

Sic corrige errata.

Paginâ 5. ire, lege ore diſticho 5.
P. 5. Qui, lege Cui diſt. 3.
Dalium, lege Idalium in Annot.
P. 6. ſumpſiſſe, lege ſcripſiſſe.
P. 10. Huic, lege hunc diſt. 3.
P. 19. puncta, lege prata: abſentia lege albentia.
P. 31. Clavus, lege calvus.
P. 50. ſuum, lege ſummum.
P. 61. ſanguineo, lege fagineo.
P. 69. tertius, lege territus.
P. 79. Manſuetus, lege Manſurus.
P. 85. Cum, lege cura diſt. 5. tela, lege tedâ diſt. 7. ævi, lege cui diſt. 9.